Secutio Dei eſt beatitudinis appetitus.

de Morbus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 1. *Secutio Dei*, inquit, *beatitatis appetitus eſt; conſecutio autem ipſa beatitas. At eum ſequimur diligendo; conſequimur vero, non cum hoc omnino efficimur, quod eſt ipſe, ſed ei proximi, eumque mirifico, & intelligibili modo contingentes, ejuſque veritate, & ſanctitate penitus illuſtrati, atque comprehenſi. Ille namque ipſum lumen eſt, nobis autem ab eodem illuminari licet.* Maximum *ergo quod ad beatam vitam ducit*, primumque eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & animа, & mente: Diligentibus enim Deum omnia procedunt in bonum. *Quamobrem paullo poſt idem Paulus*: Certus ſum, *inquit*, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura, alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum; & ſummum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum eſſe nemo ambigit, ſed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus; idque ſignificatur, & exprimitur, quod dictum eſt*: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente: *quis quaſo dubitaverit, his omnibus conſtitutis, & firmiſſime creditis, nihil nobis aliud eſſe optimum, ad quod adipiſcendum poſtpoſitis ceteris feſtinare oporteat, quam Deum? Item ſi nulla res ab ejus caritate nos ſeparet, quid eſſe non ſolum melius, ſed etiam certius hoc bono poteſt? Sed ſingula breviter attendamus: nemo nos inde ſeparat, minando mortem: idipſum enim, quo diligimus Deum, mori non poteſt, niſi dum non diligit Deum, quod nihil eſt aliud, quam ei quidquam in diligendo, atque ſequendo præponere. Nemo inde ſeparat pollicendo vitam: nemo enim ab ipſo fonte ſeparat pollicendo aquam. Non ſeparat Angelus; non enim eſt Angelus, cum inhæremus Deo, noſtra mente potentior. Non ſeparat Virtus: Nam ſi virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior mens inhærens Deo. Sin Virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt: ſi in alio eſt, favet, ut conjungamur Deo; ſi in nobis eſt, ipſa conjungit. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leviores eas ſentimus, quo Ei, unde nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum: nam & quicquid boni futurum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius, qui jam profecto bene ſibi inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum; etenim ſi hæc verba ſcientiæ forte altitudinem vel profundum ſignificant, non ero curioſus, ne ſejungar a Deo, nec cujuſquam doctrina me ab eo ſeparat, ut quaſi depellat errorem, a quo nemo prorſus niſi ſeparatus erraret. Si vero altitudine, & profundo ſuperna, & inferna hujus Mundi ſignificantur; quis mihi cælum polliceatur, ut a cæli Fabricatore ſejungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deſeram, quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſcirem? Poſtremo quis me locus ab ejus caritate divellet, qui non ubique totus eſſet, ſi ullo contineretur loco? Non ſeparat alia creatura.* Non ſatis fuit Apoſtolo dicere, Non creatura; ſed dixit, *Non alia creatura*, ut animum ipſum, quo Deum diligimus, creaturam eſſe doceret: Alia ergo creatura corpus eſt, alia creatura eſt omne ſenſibile. Cavere ergo debet animus, *Ne ab ipſius Dei caritate, qua ſanctificatur, ut beatiſſimus maneat, alterius creaturæ, ideſt, hujus ſenſibilis Mundi amore ſeparetur. Non igitur ſeparat nos alia creatura, ſiquidem & nos ipſi creatura ſumus, a caritate Dei.*

Rom. 8.

Nihil aliud nobis eſt optimum ad quod, poſtpoſitis ceteris, feſtinare oporteat, quam Deus.

Nihil nos ſeparat ab amore Dei, quamdiu ipſum diligere volumus.

Totus amor noſter in Deum colligendus.

Prov. 23.

In Deum itaque omnis amor noſter colligendus, & referendus eſt: unde rurſus idem *S. Auguſt.* Lib. 10. *Confeſſionum*, cap. 19. ita Deum alloquitur: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Et Serm. 34. alias *de Diverſis* 2. c. 4. *Audi, quid tibi dicat ex ore Sapientiæ Caritas*: Da mihi filii cor tuum. *Male erat, quando a te erat; quando tibi erat: per nugas enim, & amores laſcivos, pernicioſoſque trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis? Ubi ponis?* Da mihi, *inquit*, cor tuum. *Sit mihi, & non perit tibi. Vide enim ſi aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, qui tibi dicit*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Quid remanet de corde tuo, unde diligas te ipſum? Quid de anima tua? Quid de mente tua? Ex toto*, inquit, *totum exigit te qui fecit te.* Non ergo nos, ſed ipſum amemus: & ea, quæ ſunt ejus, non ea, quæ ſunt noſtra, quæramus (inquit idem S. Doctor Tract. 123. in Joannem.) *Neſcio quo enim inexplicabili modo, quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non ſe amat: & quiſquis Deum, non ſe ipſum amat, ipſe ſe amat. Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur utique amando ſe: non ergo ſe amat, qui ne vivat ſe amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non ſe diligendo magis diligit, qui ideo non ſe diligit, ut eum diligat de quo vivit.*

Quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non vere ſe amat.

Deus amandus dulciter, prudenter, fortiter.

Ejuſdem præcepti vim mirifice explicat *S. Bern.* Serm. 20. in Cantica. *Diſce, o Chriſtiane, a Chriſto quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter: dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter ne oppreſſi, ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, ſeu voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his Sapientia Chriſtus: ne ſeducaris ſpiritu mendacii, & erroris, luceſcat tibi Veritas Chriſtus: ne adverſitatibus fatigeris, confortet te Virtus Dei Chriſtus. Zelum tuum inflammet caritas; informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus. Et vide ne forte tria iſta tibi, & in Lege tradita fuerint, dicente Deo*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. *Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ vero amor ad induſtriam, ſeu judicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto, & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia, & circumſpectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas: quoniam* Fortis *eſt ut mors dilectio.* Lege ejuſdem Patris librum ſingularem *de diligendo Deo*, c. 1.

Deut. 6.

His addenda ex *S. Thoma* commentatio 2. 2. q 44. art. 5. *Præcipitur nobis*, inquit, *ut tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt ex toto corde: & quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt ex tota mente: & quod appetitus noſter reguletur ſecundum Deum, quod eſt ex tota anima: & quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.*

De Dei dilectione.

Idem S. Doctor actum amoris primo Præcepto mandatum, ab obſervatione aliorum præceptorum diſtinctum eſſe, diſerte docet 2. 2. qu. 44. art. 1. *Modus*, inquit, *dilectionis non cadit ſub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta, ſub hoc præcepto*, Honora patrem tuum, & matrem tuam, *non cadit, quod hoc ex caritate fiat: cadit tamen actus dilectionis ſub præceptis ſpecialibus.*

Et 1. 2. q. 100. art. 10. in Reſponſione ad ſecundum, juberi nos aſſerit omnia referre in Deum; at negat hanc obligationem ex ſingulis præceptis exurgere, ſed tantum ex vi hujus præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Regulæ, quam explicamus, adverſari *S. Bern.* quidam perperam objiciunt, duplicemque amorem diſtinguere, alterum affectivum, alterum effectivum: hunc nobis præceptum aſſerere; non primum. Hæc ejus verba proferunt ex Serm. 50. in Cantica: *Eſt caritas in actu, & eſt in affectu: & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta ad præmium.*

Affectivum Dei amorem homini Chriſtiano præceptum S. Bernardus non negat.

Verum *S. Bern.* ab illa, quam vocat caritatem in actu, intentionem directam in Deum, verumque Dei affectum non removet; nec alium quam teneriorem, ardentiorem, & ſuaviorem amoris affectum excludit, cujus torrente Sanctos in patria inebriat Deus, & nunc in via quibuſdam rivulis nonnunquam pias animas conſolatur. *Non hoc dico* (inquit S. Bernardus) *ut ſine affectione ſimus, & ſolum moveamus manus ad opera: legi inter alia, quæ ſcribit Apoſtolus, magna, & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, ſcilicet ſine affectione. Sed eſt affectio, quam caro gignit, & eſt quam ratio regit, & eſt, quam condit ſapientia. Prima eſt, quam Apoſtolus dicit, Legi Dei non eſſe ſubjectam, nec eſſe poſſe: ſecunda, quam perhibet e regione Legi Dei conſentientem, quoniam bona eſt. Longe vero tertia ab utraque, quæ guſtat, & ſapit, quoniam ſuavis eſt Dominus, primam eliminans, ſecundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis: ultima pinguis, & ſuavis. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa caritas; ſed & non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini: ſed quædam potius actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen ipſius amoris vehementer accendit.* Per caritatem igitur in effectu, verum, interiorem, & ſupernaturalem caritatis actum cum operibus conjunctum *S. Bernardus* intelligit. Per caritatem in affectu, amorem eximio quodam lumine ſplendentem, & abundantia quadam ſuavitatis circumfluentem. Primum duntaxat, non ſecundum primo mandato præceptum eſſe docet.

Rom. 1. 31.
Rom. 8. 1.

Nec vero cum Regula, cujus in explicatione verſamur, ullatenus pugnant hæc Chriſti Domini verba *In his duobus Mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.* Non enim hæc ideo dixit Salvator noſter, quod duo illa præcepta nullam obligationem importent diſtinctam ab obligatione reliquorum præceptorum, ſed quod eorum obſervatio pariat fidelem in ceteris Mandatis ſervandis diligentiam, quaſi divini amoris fructum. Unde Chriſtus ait, (Joan. 14.) *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit... Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat... Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Fructus quippe obſervationis, radicem indicat caritatis. Quia ergo neceſſe eſt, ut etiam omnia alia mandata ſerventur, dum mandatum de diligendo Deo ſervatur, propterea mandatum illud generale dici poteſt, ſicut ob eandem rationem ab Apoſtolo dicitur, *Plenitudo Legis dilectio.* Non autem dici poteſt generale mandatum, quaſi cenſeatur impleri, dum alia præcepta forinſecus ſervantur, tametſi illorum obſervatio ex imperio divini amoris non dimanet, ſine quo Dei oculis parum grata eſt. *Si enim forinſecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiat, nemo eſt tam inſulſus qui præcepta arbitretur impleri*; (inquit *S. Auguſt.* quæſt. 54. in *Deut.*) Non implentur (inquam) mandata Dei ſicut ea oportet impleri, dum fit, quod Deus præcipit, nec tamen fit propter id, propter quod fieri præcipit. Hinc idem S. Doctor in Pſ. 118. *Propter mercedem terrenam, atque carnalem* (inquit) *Dei mandata conabantur ſervare Judæi, neque faciebant, quia non ipſa, ſed aliud diligebant*: In aliis itaque mandatis non ſervatur mandatum de diligendo Deo, niſi illorum obſervatio prodeat ex radice caritatis eam imperantis. Hinc *S. Greg.* Hom 27. in Evangelia ait, *Omne mandatum de ſola dilectione eſſe, & omnia unum præceptum eſſe, quia quicquid præcipitur, in ſola caritate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice caritatis. Præcepta ergo Dominica & multa ſunt, & unum: multa per diverſitatem operis, unum in radice caritatis.* Mandatum itaque primum, & maximum non ſervatur in aliis præceptis, dum forinſecus fiunt, ſed potius in illo alia ſervantur, & adimplentur: quia amor Dei in corde regnans non permittit, ut agendo, vel omittendo dilectus offendatur. *Nam fides quæ per dilectionem operatur, etſi non ſit, in quo exterius operetur, in corde tamen illa fervens ſervatur*; (inquit *S. Aug.* Serm. 2. alias *De Tempore* 72.)

In aliis mandatis non ſervatur mandatum de Deo diligendo, niſi illorum obſervatio prodeat ex radice caritatis.

Rom. 13. 10.

Propoſitio damnata.

Merito itaque Sacra Facultas Pariſienſis inter alias Propoſitiones anno 1665. illam damnavit. *Præceptum Amoris Dei, & Proximi non eſt ſpeciale, ſed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit.*

Hanc & generalis Cleri Gallicani Conventus anno 1700. damnavit ut *pernicioſam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſivam, erroneam, impiam, primum, & ſummum mandatum irritum facientem, & Evangelicæ legis ſpiritum extinguentem.*

REGULA II.

De Dei dilectione.

Sine actu Amoris Dei non perficitur Mandatum, quo Deum ſuper omnia diligere jubemur.

Non habitus, ſed actus virtutum præcipiuntur.

Hæc Regula conſectarium eſt præcedentis. Id ipſa primi, & maximi mandati verba ſignificant: quibus dicitur diligendus Deus ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente. Diligere autem agentis, & non ceſſantis eſt. De habituali igitur, otioſo, & inerti amore minime agitur. Hinc *S. Aug.* Lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana*, c. 10. ait: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum.* Motus igitur animi, ſive vitalis actio præcipitur, non habitus, de quo præcepta non dantur. Non uno enim in loco docet *S. Th.* præcepta non dari de habitibus, ſed de actibus virtutum. Nec modo id generatim de certis præceptis, ſed ſpeciatim de præcepto amoris Dei tradit, 2. 2. q. 44. a. 2. ad primum: *Licet* (inquit) *caritas ſit una virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium ſicut ad finem. Præcepta autem dantur de actibus virtutum: Et ideo oportuit eſſe plura præcepta caritatis.* Neque enim vult Deus, ut eum habitibus ceſſantibus, & ad affectum, ac opera amoris minime inclinantibus; ſed ut (quemadmodum ait S. Joannes) *eum opere, & veritate diligamus.* Dum præcipit, ut ablata reſtituamus, non reſtitutionis habitum, quo nemo recipit, quod ſuum eſt, ſed actum præſcribit, quo redditur, quod injuſte ablatum erat. Dum eleemoſynas fieri jubet, non de habitibus, quibus pauper non paſcitur, ſed de erogatione victus, quo pauper ſuſtentatur, ſermo eſt. Dum parentibus mandatur, ut in timore Domini filios ſuos educent, actualis cura, quæ ſola proli prodeſt, non habitualis, a qua nulla diſciplina manat, a Deo præcipitur. Ita dum jubet Deus, ut eum ex toto corde diligamus, tum jubet ſe diligi dilectione actuoſa, non ceſſante; dilectione vigili, non ſopita; dilectione attenta, non vero dilectione, quæ inſtar ſopitorum habituum ſine cogitatione, ſine attentione, & ſine actione reperiri exiſtimatur.

Ep. 1. c. 3.

Perennitas actus amoris divini non eſt a Deo præcepta.

Quamvis porro actus amoris divini a Deo præceptus ſit, non tamen perennitas hujus actus, qua totum ſemper cor ad Deum actu feratur. Hæc enim perfectio cælitum propria eſt. Id unum vult S. *Th.* Secunda Secundæ, q. 44. a. 4. in Reſponſione ad ſecundum, cum ait: *Dupliciter contingit, ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo, in actu, ideſt, ut totum cor hominis ſemper actualiter feratur in Deum, & iſta perfectio eſt patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur: ita ſcilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat. Et hæc eſt perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale; quia non tollit habitum caritatis, ſed ſolum impedit caritatis uſum.*

Idem eſt alterius loci ſenſus, Articulo ſcilicet ſexto ejuſdem Quæſtionis, in Reſponſione ad ſecundum. *Sicut* (inquit) *Miles, qui legitime pugnat, non culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam, qui in via hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* Hæc enim verba, *Qui in via præceptum non implet*, non ſignificant eum a culpa eſſe immunem, qui actum amoris Dei in hac vita non elicit, ſed tantum, qui ad perfectum amorem non pervenit. Præceptum ſcilicet caritatis dupliciter ſervari poſſe, docet *S. Th.* Perfecte, quando pervenitur ad finem, quem Deus intendit, nempe, ut *totaliter* cum ipſo conjungamur, quod in cælo demum fieri poteſt: Imperfecte, cum ad iſtam divini amoris perfectionem non pervenitur. Utitur exemplo Ducis, qui militibus jubet, ut pugnent. Ille enim (inquit) perfecte implet præceptum, qui pugnando vincit: (is ſcilicet præcepti finis eſt.) Ille tantum imperfecte, qui pugnat, & non vincit; & hic tamen noxa caret, dum militiæ legibus pareat. Sed ut miles, qui nunquam pugnat, nullo modo Ducis imperium exequitur; ſic homo, qui actu nunquam diligit Deum, mandatum diligendi ne imperfecte quidem ſervat.

De Dei dilectione.

REGULA III.

In rigore præceptum eſt hominibus, ut Deum vero, & interiori affectu diligant; adeo ut ad ſalutem pervenire non poſſit, qui nullum divini Amoris actum exercuerit.

Hanc Regulam diſertis verbis tradit Chriſtus Dominus Lucæ 10. *Ecce* (inquit Evangeliſta) *Legiſperitus ſurrexit tentans illum, dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Non quærit, quid ad vitam æternam utile ſit, ſed quid neceſſarium. Dixit Chriſtus, *In Lege, quid ſcriptum eſt? Quomodo legis?* Ille reſpondit; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut te ipſum.* Quam ipſius reſponſionem approbavit Dominus, *Recte* (inquit) *reſpondiſti: Hoc fac, & vives.* Ad vitam igitur æternam neceſſarium eſt, ut Deum ex toto corde, interiore affectu diligamus.

Id confirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, Maran Atha.* Et dilectus Diſcipulus, Epiſtolæ 1. c. 3. v. 14. ſcribens, *Qui non diligit manet in morte.*

Ea conditione in Chriſti familiam cooptati ſumus, ut Deum ex toto corde diligamus. Inter ſacras enim Baptiſmi Cæremonias Sacerdos ait Catechumeno, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Ex inito igitur cum Deo in Baptiſmo fœdere tenemur divini amoris actus, quam poſſumus, frequentiſſimos elicere.

Præterea, Deum colere vero, & ſpirituali cultu omnino neceſſe eſt ad ſalutem; at ſine actu, & affectu interno amoris verus ille, & ſpiritualis cultus Deo exhiberi non poteſt. *Pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando*; (inquit *S. Aug.* Ep. 140. alias 120. c. 17.) Et Enarratione in Pſalm. 77. *Hoc colitur, quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major, & melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt, ut colatur.* In hoc cultu vera Religio conſiſtit, ex eoque vim, ac nomen ſuum mutuatur, ut *S. Aug.* docet Libr. 10. *De Civitate Dei* c. 3. *Ipſe* (inquit) *fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiſeramus enim negligentes: Hunc ergo religentes, unde & Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quieſcamus, ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim noſtrum nullum eſt aliud, quam illi cohærere: cujus unius anima intellectualis incorporeo, ſi dici poteſt, amplexu, veris impletur, fœcundaturque virtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & a quibus diligimur duci; & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ*; Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; & diliges proximum tuum tanquam te ipſum. *Ut enim homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus eſſet. Non enim, qui ſe diligit, aliud eſſe vult quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo. Jam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cum mandatur de proximo diligendo ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei, quantum poteſt, commendet diligendum Deum? Hic eſt Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.*

Sine affectu interno amor verus, & ſpiritualis cultus Deo exhiberi non poteſt.

Matt. 22.

Magna Dei bonitas, qui ſe amari jubet a creatura ſua. *Quid tibi ſum ipſe* (inquit *S. Aug.* Lib. 1. *Confeſſionum*, c. 5.) *ut amari te jubeas a me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parva ne ipſa eſt, ſi non amem te?* Magna certe miſeria, Deum non amare, in cujus duntaxat amore cor noſtrum conquieſcere poteſt, ſecundum illud ejuſdem *Auguſtini* effatum: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te ... Nam quoquoverſum ſe verterit anima hominis, ad dolores figitur, alibi præter quam in te: tametſi figitur in pulchris extra te, & extra ſe ... Eunt enim quo ibant, ut non ſint, & conſcindunt eam deſideriis peſtilentioſis: quoniam ipſa eſſe vult, & requieſcere amat in eis, quæ amat. In illis autem non eſt, ubi, quia non ſtant, fugiunt ... Noli eſſe vana, Anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipſum clamat; ut videas, & ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur Amor, ſi ipſe non deſerat... Da mihi te, Deus meus, redde te mihi, te enim amo: & ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri, ut ſciam, quantum deſit mihi amoris ad id, quod ſat eſt, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abſcondatur in abſcondito vultus*

Magna Dei bonitas, qui ſe amari jubet a creatura ſua.

Lib. 1. confeſſ. c. 1.
Lib. 4. c. 10. & c. 11.
Lib. 13. c. 8.

tus tui. Hoc tantum ſcio, quia male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in me ipſo; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt ... Pondus meum amor meus, eo feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur. Inardeſcimus, & imus.

Dei amore nihil magis neceſſarium, nil magis juſtum.

Dei amore, ut nihil magis neceſſarium ita nihil magis juſtum. Unde Auctor Sermonis *De Baptiſmo Chriſti*, inter *S. Cypriani* Opera, ait: *Juſtum eſt, Domine, ut diligamus te, quia & tu nos diligis ... Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat auctoritas: Hoc ex ore tuo audivimus; hic invenit conſummationem omnis Religio*: In quocunque ſtatu, in quacunque conditione fuerit homo, Deum amore proſequi tenetur, ſive juſtus ſit, ſive peccator; ſive viator, ſive comprehenſor, hujus officii debitor eſt. Si juſtus eſt, Deo debet, ob collatum juſtitiæ donum, amorem gratum. Si peccator eſt, Deo debet, ob amiſſum juſtitiæ donum, amorem lugentem. Si viator eſt, Deo debet, ob ejus abſentiam, amorem deſiderantem. Si comprehenſor eſt, Deo debet, ob ejus præſentiam, amorem gaudentem. Variante ſtatu, variatur amandi modus, immoto ſemper amandi officio. Hunc amoris cenſum perinde a paupere quam divite Deus exigit, quia non ex arca, ſed ex corde ſolvitur. Hoc onus tam infirmo, quam ſano impoſitum, quia non deorſum premit, ſed ſurſum levat. Hoc officium perinde feminis, quam viris præſcriptum, quia non inde ſolvitur, ubi ſexuum diſtinctio cum beſtiis homini communis; ſed inde penditur, ubi veritas intelligitur, & homo Angelis coæquatur. Huic officio ſi deſit, erga Patrem eſt inhumanus, erga Liberatorem ingratus, adverſus Legislatorem ſuum perduellis, & contumax. *Non præcipit* enim *Scriptura niſi Caritatem, nec culpat niſi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum*; (inquit *S. Auguſt.* Lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 10.)

Hæreſis divini amoris neceſſitatem, & obligationem elevans, & imminuens a ſede Apoſtolica damnata.

Merito igitur ab *Alexandro VIII.* Pontifice Maximo die 24. Auguſti anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi hæc Propoſitio damnata eſt; *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum Regulis Morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative* ∴ Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis. Hanc, inquam, Propoſitionem Summus Pontifex declaravit *Hæreticam*, & uti talem damnavit, prohibuitque *ſub Cenſuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expreſſis.*

REGULA IV.

Divini Amoris actum non ſemel tantum in vita, neque tunc ſolum cum debet juſtificari, ſed ſæpius, immo quam frequentiſſime poteſt, homo exercere tenetur.

Actum amoris Dei elicere debet homo, cum ſe ad juſtificationem præparare tenetur.

Quod teneatur homo ad exercendum divini amoris actum, cum ad juſtificationem præparare ſe debet, Sacra Synodus Tridentina docet Seſſione 6. c. 6. ubi adultos ad ſuam juſtificationem ſe diſponere docet, *Cum Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Et Canone 3. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; Anathema ſit.* Hinc illud *S. Auguſtini* in Pſalm. 19. *Qui noluerit ſervire caritati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati.* Et Pſalm. 38. de caritate loquens, qua Sponſa ſe vulneratam ait: *Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus*, inquit, *ad veram ſanitatem non poteſt pervenire.* Et Sermone 27. in Pſ. 118. *Quanto magis regnat in quocunque Dei caritas, tanto minus ei dominatur iniquitas.* Idem in Pſalm 121. *Quia ipſa caritas occidit, quod fuimus, ut ſimus, quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio.* Iſta morte mortuus erat, qui dicebat, *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego Mundo.* Iſta morte mortui erant, quibus dicebat, *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Hinc Salomon *Canticorum* 8. ait: *Fortis eſt ut mors dilectio.*

Galat. 6.

Coloſſ. 3.

Divini amoris actum exercere debet homo, cum primum ratione uti incipit.

Tenetur inſuper homo divini amoris actum exercere, cum primum incipit ratione uti, vitæque rationalis primitias offerre Creatori, ad ipſum ſe convertendo ut ad finem ultimum omnis appetitionis ſuæ, ſecundum illud Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ut docet *S. Thomas*, Prima Secundæ, quæſt. 89. art. 6. ad tertium. Rationem enim homo non accepit, niſi ut diſcerneret, quamprimum poteſt, quidnam ſibi ſit diligendum. Unde *S. Fulgentius*, Lib. 1. ad *Monimum*, c. 17. ait: *Creaturæ quippe rationali alia beatitudo non potuit, nec poteſt eſſe, nec poterit, niſi ut agnoſcens a quo non ſolum facta ſed etiam a quo rationalis facta eſt, majorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quam ſibi. Neque ei ineſſe poſſet ullatenus ratio, niſi ei poſſet Creatoris ineſſe dilectio. Quia nec eſt alia, quæ vera ſit ſapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, niſi dilectio Creatoris.*

Item, cum ingens aliquod beneficium a Deo accepit.

Tenetur præterea homo divini amoris actum exercere, cum ingens aliquod beneficium a Deo accepit. Ingrati enim animi vitium eſt immane, ſi non redamaverit amantem, & prævenientem in benedictionibus dulcedinis, in miſericordia, & miſerationibus, nihilque aliud ab illo poſtulantem præter amorem.

Cum ad S. Euchariſtiam accedit.

Tertio, Actum amoris elicere debemus, cum ad Sacroſanctam Euchariſtiam accedimus, quæ Sacramentum caritatis eſt, pignuſque ſingulare amoris, quo Chriſtus *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Ut corpori Domini communicemus, per amorem Dei de Chriſto, & in Chriſto vivere, in eoque manere debemus ut ille in nobis.

Cum gravi tentatione pulſatur.

Epheſ. 3.

Quarto, cum gravi tentatione pulſamur, quatenus periculum eſt, ne ſeparemur a Caritate Chriſti: tunc enim *In caritate radicati, & fundati*, Deo adhærere debemus, firmumque non peccandi propoſitum habere. Ut enim arbores altis radicibus terræ hærentes, & domus profundo nixæ fundamento vix loco moveri poſſunt; ita illi, qui in caritate radicati ſunt, & fundati, ab eo, quod caritas diligit, vix divelluntur; quia divelli nolunt. Hinc Apoſtolus ſuo, & eorum nomine, (ad Romanos c. 8.) *Quis ergo*, inquit, *nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ... Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Sic affectis Deus auxilium largitur, quo tentationibus vel graviſſimis reſiſtunt non modo, ſed ex eis proficiunt, ut in divino ſint amore firmiores, ſecundum illud 1. ad Cor. 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Vere fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur, gratiam, ut mereamur, conſtantiam, ut vincamus.

Cum de odio Dei tentatur.

Sed tunc maxime Dei amorem in nobis excitare tenemur, cum de odio Dei tentamur, quod incomparabile ſcelus eſt, & peccatum in Spiritum Sanctum. In hoc prolabitur homo peccator, cum conſiderans Deo diſplicere peccata, quæ ipſe amat, cuperet Deum non eſſe, aut peccata non punire, ſicque iniquum eſſe. De quo hominum impiorum genere *S. Auguſt.* ait, Tractatu 90. in Joannem: *O miſeros homines! qui cum eſſe volunt mali, nolunt eſſe Veritatem, qua damnantur mali: Nolunt enim eam eſſe, quod eſt, cum ſeipſos debeant nolle eſſe, quod ſunt, ut ipſa manente mutentur; ne ipſa judicante damnentur.*

Ejuſdem criminis rei ſunt, qui tanta nauſea afficiuntur in ſpiritu, ut de eo ipſo Deo triſtitiam concipiant, ipſumque ſummum bonum apprehendant, ut ſibi malum, aut ita in peccato ſuo ſunt affecti, ut illorum, qui Gloriam Dei dilatare ſtudent, & conantur piam voluntatem, ac labores fruſtrari gaudeant. Adverſus hujuſmodi tentationes, ſi quando inſurgant, munire ſe debet homo frequentibus, ac ferventibus divini amoris actibus.

Quoties aliquibus actibus Religionis Deum peculiariter colere tenemur.

Quinto, Divini amoris actum exercere tenemur, quoties Deum peculiariter colere obligamur, aut volumus aliquibus actibus Religionis, adoratione ſcilicet, Sacrificio, auditione Sacri, oratione, voto, ſi tunc affectu lethalis peccati devincti ſimus. Tenemur, inquam, divini amoris ſaltem inchoatione quadam ex affectu peccati emergere, illumque deponere, quod fieri non poteſt, niſi juſtitiam, quæ Deus eſt, diligere incipiamus. Aliter, lingua, & actio aliud exprimunt, quam quod in corde verſatur, vereque Deus dicere poteſt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Ipſiſque convenit illud Pſ. 77. *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo*, Nec ſunt *Veri adoratores, qui adorant in ſpiritu, & veritate.* Ad adorationem enim in ſpiritu, & veritate duo requiruntur; primum ut in mente adorantis, nec falſus Deus, quemadmodum in animo Gentilium; nec de vero Deo, quemadmodum in cogitatione Samaritanorum, falſa ſit opinio. Secundo, ut quicquid cæremoniis, & verbis exprimitur, internis animi motibus vere reſpondeat. Qui porro manet in affectu peccati, Deum in veritate non adorat, dum ſine deſiderio adoptionis filiorum Dei, Deum tamen tanquam Patrem ſuum audet appellare: dum ait, *Sanctificetur nomen tuum*, nullo incenſus odio peccati, quo Dei nomen inhonoratur, nec ullo ardens zelo, quo cultus ejus promovetur: dum frigidus ab æternæ vitæ deſiderio, & præſentis vitæ, rerumque temporalium fervens amore dicit, *Adveniat Regnum tuum*: dum voluntati divinæ rebellis, & contumax, ejuſque mandata contemnens ait *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*, tametſi in corde dicat Deo, *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus* ... dum verbum Dei faſtidiens, & Chriſti Corpus vix ſemel in anno ſumere ſatagens, atque a Chriſti Spiritu alienus; ait: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: dum odio, & vindictæ deſiderio in proximum exæſtuans ait: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: dum tentationi cedens, peccandi occaſiones amans, *labiis doloſis, in corde, & corde dicit, Et ne nos inducas in tentationem.* Hoccine eſt adorare Deum in ſpiritu, & veritate? Sincerus Dei cultus abſque illius amore non conſiſtit, ut ſæpe repetit Sanct. Auguſtinus, *Qui cultus ejus, niſi amor ejus?* (inquit ille Lib. 12. *De Trinitate*, c. 4.) Sine caritate ſcilicet alia nihil proſunt: & ſi neceſſitas impediat, ne alia adhibeantur, ſola ſufficit. *Adde caritatem, proſunt omnia: detrahe caritatem, nihil proſunt cetera* (inquit idem S. Doctor Serm. 138. alias 50. *De Verbis Domini.*)

Jerem. 2.

Joan. 4.

Marc. 7.

Quoties Deum graviter offendi videt Pſ. 118.

Sexto, divini amoris actum elicere tenemur, cum Deum blaſphemiis impeti, ſacrilegiis inhonorari, contemni, aut gravi quopiam ſcelere offendi videmus: ſicut affectus erat David, zelo Dei incenſus, quod inimici ſui divinæ legis obliti eſſent. *Tabeſcere*, inquit, *me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Ad hoc enim flagrabat eos adducere, quod ipſe flagrantiſſime diligebat; (inquit *S. Aug.* Serm. 29. in illum Pſal.) Zelum qui habent, omnes ſibi inimicos putant, qui ſunt hoſtes Dei, quamvis patrem, fratres, ſorores. *Nemo enim gravior hoſtis omnium, quam qui omnium lædit Auctorem.* Inſignia divini hujus ardoris, ac zeli exempla Scriptura ſacra proponit in Phinee, Elia, Ezechia, Prophetis omnibus, Matathia, Chriſto ipſo Salvatore, de quo ſcriptum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Num. 25. 3. Reg. 19. Iſa. 37. 1. Mach. 2. Joan. 2.

Divini amoris actum exercere tenemur in mortis periculo.

Septimo, divini amoris actum exercere tenetur homo in mortis periculo conſtitutus. Tunc ſcilicet totis viribus eniti debet, ut ad Deum per pœnitentiam convertatur. Nemo enim, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius ſit, committere debet, ut ſine Pœnitentia migret e vita (inquiebat *S. Aug.*) *Pœnitentiam autem certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* Tunc adverſus graviores tentationes majorem in ſe caritatem excitare tenetur moribundus. Tunc ad Deum ferventius tendere, quomodo corpora centro ſuo propiora majori propenſione, ac impetu in illud feruntur: tunc dolere, quod tam ſero Deum amaverit, cum *S. Aug.* dicens: *Sero te amavi, Pulchritudo tam magna, tam antiqua, ſero te amavi*: tum ad æternam beatitudinem promerendam ſtudium omne, omneſque conatus adhibere, quod niſi *caritate* fieri non poteſt, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: tunc denique ſeipſum, ac vitam ſuam Deo in ſacrificium offerre, ut Chriſtiane, pieque moriatur. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur: Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

Rom. 16.

Ex toto vitæ tempore, quam frequentiſſime poſſumus, divini amoris actus exercere debemus.

Denique toto mortalis hujus vitæ tempore divini amoris actus exercere debemus, quam frequentiſſimos poſſumus; quod Deus ipſe clariſſime expreſſit, nobiſque injunxit, dum poſt hæc verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*; ita proſequitur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, atque oſtiis domus tuæ.* Non ceſſatio ſedentis ab hoc amore debet ceſſare; non quies dormientis ab hoc amore quieſcere; non vigiliæ conſurgentis, neglecto hoc amore, aliis intendere, non labor itinerantis ab hoc amore diſcedere. Sive domi, ſive foris, quocunque loco, quocumque tempore, quocunque in opere, homo Dei amator eſſe debet. Nec vero de habitu inerti, & otioſo dilectionis loquitur Deus, ſed de caritate in frequentes actus prorumpente. *Dilectio vacare non poteſt. Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem*; (inquit *S. Aug.* Præfatione in Pſalm. 31.) *Habet omnis amor vim ſuam* (inquit idem S. Doctor in Pſal. 121.) *Nec poteſt vacare amor in anima amantis: neceſſe eſt, ut ducat. Sed vis noſſe, qualis amor ſit? Vide, quo ducat. Non enim monemus, ut nil ametis, ſed ne Mundum ametis, ut Eum, qui fecit Mundum, libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt. Mundata vero ab affectibus ſordidiſſimis ſæculi, tanquam extenſis pennis, & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id eſt, duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi volat. Quo, niſi ad Deum aſcendens volando, quia aſcendit amando? Quod antequam poſſit, gemit in terra, ſi jam ineſt ei volandi deſiderium*; & dicit: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*

Deut. 6.

Amor Dei vacare non poteſt.

Pſ. 54. 7.

Amoris Dei, & amoris proprii characteres.

Deſcribens idem S. Doctor amorem ſui, & amorem Dei, utrique proprias actiones aſſignat, Lib. 14. *De Civit. Dei.* Cap. 28. illi ædificare Babylonem, huic cæleſtem Jeruſalem; illi gloriari in ſeipſo, huic gloriari in Domino; illi ſe ipſum, huic Deum ſuum exaltare, illi coæqualibus dominari, huic liberis affectibus proximo ſervire. *Fecerunt*, inquit, *Civitates duas, amores duo: terrenam ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei, cæleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui. Denique illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur: illa enim quærit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conſcientiæ teſtis maxima eſt gloria: illa in gloria ſua exaltat caput ſuum; hæc dicit Deo ſuo*, Gloria mea, & exaltans caput meum. *Illa in Principibus ejus, vel in eis, quas ſubjugat, Nationibus dominandi libidine dominatur; in hac ſerviunt invicem in caritate, & Præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando: illa in ſuis Potentibus diligit virtutem ſuam; hæc dicit Deo ſuo*, Diligam *te, Domine virtus mea.* Cum igitur toto vitæ hujus mortalis tempore præcipitur caritas, non illa motu, & actione carens præcipitur, ſed quæ in actus amoris quam fieri poteſt frequentiſſimos prorumpat.

Pſ. 3. 4.

Pſ. 72. 2.

Totis viribus eniti debemus ut in juſtitia Chriſtiana creſcamus.

Operam certe dare tenemur, & totis viribus eniti, ut in Juſtitia Chriſtiana creſcamus. Siquidem *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*; ut dicitur Prov. 4. *Et ibunt de virtute in virtutem*, donec *videatur Deus Deorum in Sion.* Unde Apoſtolus ad Epheſ. 4. ait: *Veritatem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Et Apoſtolorum Princeps Ep. 2. c. 3. *Creſcite in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.* Spirituale autem illud incrementum fit per actus frequentiſſimos caritatis; juſtitia enim Chriſtiana nihil aliud eſt quam caritas, ſecundum *S. Aug.* Lib. *De Natura, & Gratia*, c. ult. *Caritas inchoata*, inquit, *inchoata juſtitia eſt; caritas provecta, provecta juſtitia eſt; caritas magna, magna juſtitia eſt; caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt: ſed caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita: ſed miror ſi non habet, quo creſcat, cum de mortali exceſſerit vita.*

Pſal. 83.

Et Lib. *De perfectione Juſtitiæ hominis*, c. 3. *Tunc ergo erit plena juſtitia, quando plena ſanitas: tunc plena ſanitas, quando plena caritas, plenitudo enim legis caritas: tunc autem plena caritas, quando videbimus eum ſicuti eſt. Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem.*

Rom. 13.

Quod autem homo in juſtitia ſemel accepta creſcere ſemper debeat, docet etiam Sac. Synodus Trid. c. 10. *Sic ergo*, inquit, *juſtificati, & amici Dei facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur (ut Apoſtolus ait) de die in diem: hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma juſtitiæ in ſanctificationem, per obſervationem Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, in ipſa Juſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, atque magis juſtificantur, ſicut ſcriptum eſt.* Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. *Et iterum*: Ne verearis uſque ad mortem juſtificari. *Et rurſus*: Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo & non ex fide tantum. *Hoc vero juſtitiæ incrementum petit Sancta Eccleſia, cum orat*: Da nobis, *Domine, fidei, ſpei, & caritatis augmentum.* Porro *Quanto magis regnum cupiditatis deſtruitur, tanto caritatis augetur*, inquit, *S. Auguſt.*

Pſal. 83. 2 Cor. 4. Coloſſ. 3. 2. Rom. 6. Apoc. ult. Eccl. 28. Jacob. 2.

Lib. 3. De Doctrina Chriſtiana c. 10.

Propoſitiones damnatæ.

Ex his omnibus compertum eſt, inter alia corruptæ Moralis maleſana dogmata merito confixa fuiſſe ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo ſequentes Propoſitiones anno 1679.

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.*

7. *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

Item a Sacra Facultate Pariſienſi merito fuiſſe damnatam illam Propoſitionem an. 1665. *Præceptum amoris Dei per ſe tantum obligat in articulo mortis.*

Generalis denique Cleri Gallicani Conventus anno 1700. ſic de illis propoſitionibus judicavit: *Hæ Propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, pernicioſæ, piarum aurium offenſivæ, erroneæ, impiæ, primum, & ſummum mandatum irritum faciunt; atque Evangelicæ Legis ſpiritum extinguunt.*

REGULA V.

Deum non amat, ſed primum, maximumque Mandatum violat, qui alia re frui vult præter Deum.

Hanc Regulam præclare *S. Aug.* explicat Lib. 1. *De Doctrina Chriſtiana*, triplicem rerum ordinem diſtinguens. Res aliæ ſunt, quibus fruendum eſt, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur, & utuntur. „Illæ, quibus fruendum eſt, „beatos nos faciunt. Iſtis, quibus utendum eſt, tendentes „ad beatitudinem adjuvamur, ut ad illas, quæ nos beatos „faciunt, pervenire, atque his inhærere poſſimus. Nos „vero, qui fruimur, & utimur, inter utraſque conſtituti, ſi eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab „his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti. *Frui enim eſt amore alicui rei inhærere propter ſe „ipſam. Uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod „amas, obtinendum referre*; ſi tamen amandum eſt . . . „Nam uſus illicitus, abuſus potius, vel abuſio nominandus „eſt. Quomodo ergo ſi eſſemus peregrini, qui beate vivere niſi in patria non poſſemus, eaque peregrinatione „utique miſeri, & miſeriam finire cupientes, in patriam „redire vellemus, opus eſſet vel terreſtribus, vel marinis „vehiculis, quibus utendum eſſet ut ad patriam, qua „fruendum erat, pervenire valeremus: quod ſi amœnitates itineris, & ipſa geſtatio vehiculorum nos delectaret, „& converſi ad fruendum his, quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, & perverſa ſuavitate implicati „alienaremur a patria, cujus ſuavitas faceret beatos: ſic „in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino, redire ſi in patriam volumus, ubi beati eſſe poſſimus, *Utendum eſt hoc Mundo, non fruendum*, ut inviſibilia Dei „per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, hoc eſt, „ut de corporalibus, temporalibuſque rebus æterna, & ſpiritualia capiamus.“

Quid eſt frui.

Solo Deo fruendum.

Itaque ſolo Deo fruendum eſt, quia ei ſoli amore inhærere debemus propter ipſum: cetera vero omnia ad ejus amorem referre tenemur. *Res, quibus fruendum eſt*, (inquit S. Aug.) *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, eademque Trinitas, una quadam ſumma res, communiſque omnibus fruentibus ea*, Nemine autem homine, quamvis amiciſſimo frui debemus, quia nemo homo propter ſe diligendus eſt, *Quod enim propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata*; cujus etiam ſi nondum res, tamen ſpes ejus nos hoc tempore conſulatur. *Maledictus* autem, *qui ſpem ſuam ponit in homine*. Sed nec ſe ipſo quiſquam frui debet, quia nec ſeipſum debet propter ſeipſum diligere, ſed propter illum, quo fruendum eſt. Rebus denique creatis debemus uti, *Non quaſi manſoria quadam dilectione, atque delectatione, ſed tranſitoria potius, tamquam viæ, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet inſtrumentorum, aut ſi quid congruentius dici poteſt; ut ea, quibus ferimur, propter illud, ad quod ferimur diligamus.*

Jerem. 17.

1. Cor. 7.

Multo minus ergo bona quævis temporalia propter ſeipſa diligere debemus; ſed ea poſſidere, vel in eis delectari debemus utentis modeſtia, non fruentis affectu, ſecundum illud Apoſtoli: *Qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur*. Illa diligere non debemus, quatenus etiam nobis a Deo donantur, niſi ut arrham ſponſi, ut munera amici, ut beneficia domini. Sponſa porro magis ſponſum amat, quam arrhas, ſi caſta ſit, & ſapiens: amicus magis amat amicum, quam ejus munera, ſi verus ſit ac ſincerus amicus: ſervus fidelis magis amat dominum, quam ejus beneficia. Temporalia quævis bona retinacula ſunt ſpei noſtræ, impedimenta itineris, curſuſque noſtri, quo ad Deum tendere continuo debemus. *Amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pœnnarum*, (inquit S. *Aug.* Serm. 112. alias 33. *De Verbis Domini*.)

REGULA VI.

Error eſt, & illuſio peſſima Dæmonis, perſuaſum habere, quod Amor Dei puriſſimus, & Vita, quam Theologi Myſtici Unitivam vocant, proprius, curare non debeat obſervantiam Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, Sacramentorum frequentationem, uſum Imaginum, & Indulgentiarum, pugnam contra tentationes, Orationem, ſeu vocalem, ſeu mentalem, Jejunia, ceteraſque carnis mortificationes, & quod a ceterarum virtutum operibus ceſſare debeat, qui Deum amat,

Quietiſtarum Hæreſis.

2. Tim. 3.

Errorem dicens, parum dixi; Hæreſis eſt periculoſiſſima noviſſimorum temporum, quam ſub ſpiritualis vitæ larva *Molinos* Sectæ *Quietiſtarum* Auctor diſſeminavit in Italia, aliique nonnulli a dæmone impulſi homines, *Voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*, docere auſi ſunt, decipientes mulierculas onuſtas peccatis, quæ cum ſpiritu incepiſſent, carne tandem ſunt conſummatæ. Hanc Hæreſim damnavit *Innoc. XI.* Pontifex Maximus, Eccleſia execratur univerſa. Et merito quidem: Amor enim Dei verus, & ſincerus non eſt in eo, qui Dei mandata non ſervat. *Si quis diligit me* (inquit Chriſtus) *ſermonem meum ſervabit*. Et *S. Joannes* Ep. 1. c. 2. ſcribit: *Qui dicit ſe noſſe Eum, & Mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit in ſe ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Et cap. 3. *Qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis*, Et cap. 5. *Hæc eſt caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus; & mandata ejus gravia non ſunt.* Probatio *ergo dilectionis*, (inquit *S. Greg.* Hom. 30. in Evangelia) *exhibitio eſt operis... Vere etenim Deum diligimus, & mandata ejus cuſtodimus, ſi nos a noſtris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria diſſuit, profecto Deum non amat; quia ei in ſua voluntate contradicit.*

Amor purus Dei non eſt in eo, qui Dei, & Eccleſiæ mandata non ſervat.

De dilectione Dei.

Sacramentorum pia frequentatio, puri amoris Dei in corde dominantis documentum eſt.

Ad hæc, Sacramentorum frequentatio documentum eſt amoris divini in corde noſtro dominantis; ſi tamen illa cum debitis diſpoſitionibus ſuſcipiamus, & ex eorum frequentatione meliores evadamus. Deum vero non diligit, qui a Chriſto inſtituta humanæ infirmitatis remedia, & noſtræ ſanctificationis inſtrumenta negligit. Si quis enim ſibi blanditur, quod Deum amet, & quod amoris unitivi gradum attigerit, ſibique amare ſufficiat, is certe ſibi illudit. Si enim *dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate* (inquit S. Jo: Ep. 1. c. 1.) Omnis vero peccator Pœnitentiam agere debet, & ad Eccleſiæ Sacramenta confugere. Etſi enim cor noſtrum nos non reprehendat, delicta tamen quis intelligit? Quot ignorantiæ peccata? Quot delicta occulta? Præterea, qui Deum diligit, illique intime adhæret, is vult in Chriſto manere, & manentem in ſe habere: is vult in Deo, & de Deo vivere: is Chriſto concorporalis eſſe cupit, & in eum feliciter mutari: quod Euchariſtiæ frequentatione conſequimur.

Joan. 6.

Unde Sanctorum neminem Sacramenta non frequentaſſe videmus, cum ipſis licuit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*, (inquit Salvator noſter) *in me manet, & ego in illo*. Per amorem quidem in Deo manemus, & Deus in nobis: ſed amorem accendit, ac fovet Euchariſtiæ Sacramentum, quo Verbum caro factum non ſpiritaliter ſolum, ſed corporaliter nos reficit, & habitat in nobis: illoque igne divinæ caritatis corda noſtra inflammat, quem venit mittere in terras, & quem vult in animis noſtris ardere,

Uſus imaginum, & indulgentiarum puro Dei amori non adverſatur, immo illius adjumentum, & incentivum eſt.

Uſus Imaginum, & Indulgentiarum, pietatis adjumentum, & incentivum eſt, indiciumque amoris, quo Chriſtum, deiparam Virginem, & Sanctos diligimus. Illos patrem, matrem, fratrem, vel amicum ſincere diligere nemo dixerit, qui illorum imaginem rejecerit, ac ſpreverit. Chriſti Crucifixi, Deiparæ Virginis, vel Sanctorum Imagines domi habere, ſalutare, & coram ipſis Deum orare, Eccleſia in Conciliis congregata, & a Spiritu Sancto edocta, Chriſtianæ pietatis teſſeram eſſe cenſet.

Pugna adverſus tentationes, vigilantia, & ſollicitudo Chriſtiana, puri amoris Dei characteres ſunt, & effectus.

Pugnam adverſus tentationes, ſollicitudinem, ac vigilantiam, ne ſeducamur a ſenſibus carnis noſtræ, ne a concupiſcentiis noſtris *abſtracti*, & *illecti* in peccatum cadamus, ne a Mundo, qui *Totus in maligno poſitus eſt*, fallente, blandiente, vel terrente ſuperemur; ſed potius, ut *Cum omnibus erroribus, amoribus, & terroribus ſuis* vincat eum fides noſtra, Chriſtus amoris Magiſter, ejuſdemque divini amoris præcones Apoſtoli præcipiunt & commendant. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*, (inquit Chriſtus, Matth. 26.) Et Marci 13. *Videte, vigilate, & orate... Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Condelectabatur Apoſtolus legi Dei *ſecundum interiorem hominem*. Carnis autem velut hoſtis domeſtici tentatione trahebatur ex adverſo. Quid ille? An ſollicitus non erat de tentationis tam periculoſæ exitu, de ſuo in Deum amore ſecurus? Immo gratiam ſupplex invocabat, coram Deo gemebat, viribuſque ſuis diffidens, ejus auxilium humiliter implorabat. *Roman.* cap. 7. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quam gratiam, ut a Deo obtineamus, neceſſe eſt, ut concupiſcentiis carni reſiſtamus. Cap. 8. *Ergo, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et cap. 13. cum plenitudinem legis dilectionem eſſe docuiſſet, ſubdit: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus; non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Idem Apoſtolus, quamvis nihil ſibi conſcius eſſet, quamvis omnia propter Evangelium faceret, ſollicitus tamen erat de ſalute ſua, pugnabat contra concupiſcentiam, corpuſque ſuum caſtigatione quotidiana continebat in officio, Atque ſic faciendum omnibus ad bravium ſalutis æternæ currentibus, & fidem, quæ per dilectionem operatur, habentibus, docebat, (1. Corinth. 9.) *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Caritatem abſque Chriſtiana vigilantia, & bonis operibus non eſſe docet, idem cap. 16. *Vigilate*, inquit, *ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in caritate fiant.* Acceptam a Deo gratiam negligendam non eſſe; ipſique laboribus, vigiliis, jejuniis, aliiſque bonis operibus a caritate imperatis, & continua pugna contra tentationes, fideliter eſſe cooperandum, docet 2. Cor. cap. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis... In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros... In laboribus, in vigiliis, in jejuniis... in caſtitate... in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris.* Stimulus carnis, Angelus Satanæ S. Paulo infeſtus erat, id permittente Deo, ne magnitudo revelationum ipſum extolleret. Quid ille? An ſufficere ſibi Dei amorem exiſtimabat, nec de tentatione expugnanda debere eſſe ſollicitum? immo humili, fervente, & perſeverante oratione divinæ gratiæ auxilium invocabat, (c. 12.) *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.* Ad Epheſ. 6. Fideles armis ſpiritualibus inſtruit, ut adverſus diabolum pugnent, ejuſque tentationibus pro virili reſiſtant. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela*

Rom. 7. 21.

Nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite; & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei) per omnem orationem, & obſecrationem, orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione. Ad Philippenſes cap. 2. quos ad caritatem informavit, eoſdem hortatur, ut *cum metu, & tremore* ſalutem ſuam operentur. Coloſſenſes ad Chriſtianæ vitæ normam informans cap. 3. Ep. ad illos ſcriptæ, hortatur in primis, ut *Mortificent membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis*, ut *Expolient ſe veterem hominem cum actibus ſuis*, & *induant novum*; ut induant *Viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes ſibimetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam.* Tum ſubdit: *Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis* Et cap. 4. *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Theſſalonicenſes hortatur Epiſt. 1. cap. 5. ut vigilent, diem Domini continuo expectantes, ut induant arma Chriſtianæ militiæ, & ſemper orent. *Sine intermiſſione*, inquit, *orate*. Petrus fideles caritatem continuam habere debere docet; verumtamen hortatur, ut vigilent & orent, ut humilitatem exerceant, ut diabolo reſiſtant, Ep. 1. c. 4. *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis caritatem continuam habentes.* Cap. 5. *Omnes autem invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam... Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide* Monet *Tanquam advenas, & peregrinos, abſtinere a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* (Cap. 2.)

Puro Dei amore non flagrat qui crucem, & mortificationem Chriſti non amat.

Matt. 6. Luc. 9. Matth. 7. Lucæ 13. Galat. 5. 1. Joan. 2. Lucæ 24. Rom. 8. 2. Cor. 4. Galat. 2. Galat. 6. Philip. 3. Rom. 12. Rom. 6. Lucæ 3. Matth. 11.

Deum non amat, qui Crucem, & mortificationem Chriſti non amat. Qui enim Chriſti vere diſcipulus eſt, *Abenegat ſemetipſum, tollit crucem ſuam*, & illum *ſequitur*. Intrat per *anguſtam portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam; carnem ſuam crucifigit cum vitiis, & concupiſcentiis*; Chriſti veſtigiis inſiſtit, & ſicut ille ambulavit, ita ambulat, per Crucem, mortificationem & auſteriorum virtutum opera: *Quoniam ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; Et *ſi compatimur, & conglorificabimur*: *ſemper mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumfert*: *Chriſto confixus eſt cruci*. Non gloriatur *niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem Mundus illi crucifixus eſt, & ille Mundo*: Veniens *in ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti ejus*: Exhibens corpus ſuum *Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*: Exhibens *Membra ſua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*: Continuam pœnitentiam agens, quia quotidie in multis offendit: in idque incumbens, ut faciat *Dignos fructus pœnitentiæ*, Certus, quod *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et quod Chriſtianus in hoc vocatus eſt, ut Chriſti Paſſionibus communicet, quemadmodum loquitur S. Petrus Ep. 1. c. 2. *In hoc enim vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

Inane eſt, & vacuum puri amoris nomen quo gloriatur, qui a virtutum reliquarum exercitatione, actibuſque ceſſat.

Denique inane eſt, & vacuum amoris nomen, quo gloriatur, qui a virtutum reliquarum exercitatione, boniſque operibus ceſſat, ut uni, de quo ſibi ſuperbe blanditur, amori vacet. Ait enim Chriſtus Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum cælorum. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Hinc Apoſtolus *Epheſ.* 5. poſtquam Fideles hortatus eſt, ut *Ambulent in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*, eos ambulare jubet, ut filios lucis. *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate; probantes quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* S. Petrus Ep. 2. c. 1. ſatagere nos jubet, ut per bona opera certam noſtram vocationem faciamus: *Vos autem*, inquit, *curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem, Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu eos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum: Quapropter fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Religionem veram non in ſolo amoris actu, ſed in bonis etiam operibus poſitam eſſe docet S. *Jacobus* in Epiſtola Catholica, cap. 1. *Religio munda, & immaculata* (inquit) *apud Deum, & Patrem, hæc eſt: viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Et c. 2. *Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Fidem ſuam mortuam non eſſe, Quietiſtæ reſpondent, quia Deum amant: ſed illuſio iſta eſt, ſiquidem verus amor Dei per bona opera ſe prodit; nec viva fides eſt, quæ amare ſe dicit: ſed *Quæ per caritatem operatur*, (ut ait Apoſtolus ad *Galatas* 5.)

Quietiſtarum illuſio.

Neque his favet, quod *Plenitudo legis dilectio* ab Apoſtolo dicta ſint. Non enim eo ſenſu dicitur plenitudo Legis, quod inerti, ſegni, & otioſo amore lex impleatur, nec ulla bona opera, ulloſque reliquarum virtutum actus exercere neceſſe ſit: ſed quod ex ipſius imperio bona opera fiant, eaque ceterarum virtutum actus ad finem ultimum dirigat, qui alias Deo grati non eſſent. Sane concipi non poteſt, quod Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligatur, & tamen nihil agere, nihil pati velit propter Deum, qui ſic diligit; non ipſi obſequi; non ejus gloriam amplificare; non exquirere quid ipſi gratum ſit, & acceptum, illudque operari quantum poteſt; non ejus Eccleſiam diligere, ejuſque utilitates promovere; non ejus amicos propter ipſum amare, ac ſatagere, ut omnes ejus amici fiant, ipſique pareant; non dolere, cum aliqua ipſi injuria irrogatur, non adverſus ejus hoſtes ardenti zelo commoveri, non ipſi ſatisfacere, cum læſus eſt ejus amor; non ſuſpirare, & gemere, quandiu in hoc exilio peregrinatur a Domino, donec ipſum videat ſicut eſt, eoque fruatur. Amicuſne cenſeretur hominis alter homo, ſi nullam quæreret occaſionem ipſi placendi, ipſique gratificandi, ac ſerviendi, nec ultro oblatam amplecteretur, quamvis inani verborum ſono ſuum in illum amorem ſignificaret, identidem repetens, Diligo, diligo? *Amor operatur magna, ſi eſt: ſi autem non operatur, amor non eſt.*

ARTICULUS XI.

Regula de Dilectione Proximi.

REGULA PRIMA.

Proximum diligere tenemur ſicut nos ipſos, & amore quidem affectivo, & interiori: adeo ut per ſolos actus externos huic præcepto minime ſatisfiat.

De dilectione proximi.

HOc alterum caritatis Mandatum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.* (Matt. 22.) Idem Chriſti Mandatum refertur *Marc.* 12. ubi & Scriba, qui ipſum interrogaverat, ſapienter reſpondet: *Diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificiis.* Refertur & *Lucæ* 10. ubi Legiſperito duplex illud præceptum recte recenſeri, reſpondet Chriſtus: *Hoc fac & vives.* Mandatum dilectionis proximi Apoſtoli prædicaverunt, litteriſque ſuis commendaverunt. *Rom.* cap. 13. *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam, non adulterabis, &c. & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur; Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ad Galat. cap. 5. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* S. Jacobus Epiſtolæ Catholicæ Cap. 2. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, benefacitis.* Denique S. Joannes Epiſt. 1. Cap. 4. *Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Dilectio eſt actus voluntatis, motus, affectus, ponduſque cordis; actum igitur interiorem præcipit Deus, cum jubet, ut proximum diligamus. Præterea, proximum diligere debemus, ſicut Deus dilexit nos: Deus autem interno actu nos dilexit, & diligit, *In caritate perpetua*, ante conſtitutionem Mundi, ab æterno. Proximum diligimus ea caritate, qua diligimus Deum. Porro interni amoris affectu Deum diligere debemus, ut ſuperius probatum eſt: igitur & proximum interno ſinceri amoris affectu diligere tenemur. Diligere debemus proximum ea caritate, qua in Deo manemus, & Deus in nobis; & quæ fraternum odium excludat. Sed actus externi, quibus proximo ſubvenitur, ab alia radice prodire poſſunt, & fraternum odium non excludunt: ſiquidem a ſuperbia, & hypocriſi poſſunt imperari, aut certe ab humanitate quadam, generoſitate, & dilectione naturali, qua ipſi etiam Judæi, Mahumetani, & Gentiles ſe mutuo diligunt. Unde Apoſtolus 1. Corinth. 13. ait; *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Solis igitur actibus externis Mandatum de proximi dilectione non impletur.

Hinc *S. Aug.* Tractatu 8. in Epiſtolam 1. *S. Joannis*, ait: *Paſcit miſericordia, paſcit & ſuperbia. Hoſpitem ſuſcipit miſericordia, hoſpitem ſuſcipit & ſuperbia. Intercedit pro paupere miſericordia, intercedit & ſuperbia. Quid eſt, hoc in operibus non diſcernimus. Audeo aliquid dicere, ſed non ego. Paulus dixit, Moritur caritas, ideſt, homo habens caritatem, confitetur nomen Chriſti, ducit Martyrium: confitetur & ſuperbia, ducit Martyrium. Ille habet caritatem, ille non habet caritatem. Sed audiat ab Apoſtolo ille, qui non habet caritatem.* Si diſtribuero omnia mea in cibos pauperibus & ſi tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *Ergo Scriptura Divina intro nos revocat a jactatione hujus forinſecus, & ab iſta ſuperficie, qua jactatur ante homines, revocat nos intro. Redi ad conſcientiam tuam, ipſam interroga. Noli attendere, quod floret foris; ſed quæ radix eſt interna. Radicata eſt cupiditas: ſpecies poteſt eſſe bonorum factorum, vere opera bona eſſe non poſſunt. Radicata eſt caritas, ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt.*

1. Cor. 13. 3.

Propoſitiones damnatæ.

Merito igitur *Innoc. XI.* Pontifex Maximus inter alias 65. Moralis corruptæ Propoſitiones an. 1677. iſtas damnavit.

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

11. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

REGULA II.

Præceptum de dilectione proximi non implet, niſi qui proximum ad Deum adducere conatur, ipſique æterna bona procurare nititur, & quæcunque auxilia ei præbere poteſt, ut facilius ad Deum perveniat.

Chriſti erga nos amor, noſtri erga proximum amoris exemplar.

Hæc Regula nititur Chriſti verbis; Joan. 18. *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem*, Nos autem dilexit Chriſtus, non ad mundi delicias, non ad opes caducas, non ad ſæculares dignitates, ſed ut juſti eſſemus, ut cum ipſo regnaremus, ut Deus viveret, ac regnaret in nobis; dilexit nos non amore inerti, ſed amore actuoſo, qui ipſum perpetuo incitabat, ut orando, prædicando, miracula perpetrando, patiendo, & reſurgendo noſtram operaretur ſalutem: Proximum igitur diligere debemus imitatione Chriſti, amore, qui nos reddat ſollicitos, ut Deo vivat, Deo perfruatur, ut in via ſalutis nulla ei impedimenta ponamus, ut quæcunque beneficia, & auxilia poſſumus, ei benigne præbeamus, quo facilius ad Deum pervenire valeat. Tali amore diſcernuntur diſcipuli Chriſti a diſcipulis Philoſophorum, & Sapientium hujus Mundi, qui ſe invicem diligentes; non alia ſibi invicem bona procurant, quam temporalia, viſibilia, caduca, & peritura.

Fraternæ dilectionis characteres.

Fraternæ hujus dilectionis characteres deſcribit Ap. 1. ad Cor. 13. *Caritas* (inquit) *patiens eſt, benigna eſt; Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate: Congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Hæc nimirum, ut proximi ſalutem procuret, in ferendis ejus defectibus *Patiens eſt*: ut illum Chriſto lucretur, *benigna eſt*. Ejus æternam ſalutem ſincere deſiderans, ejus proſperitati non invidet, *non æmulatur*. Ne in via ſalutis illi impedimentum ponat, *non agit perperam*. Ne illum contemnat, ob proprias dotes, bonaque, ſeu animæ, ſeu corporis, ſeu fortunæ, *non inflatur; Non eſt ambitioſa*, ut ei dominetur; verum ut ei pie ſerviat, *non quærit, quæ ſua ſunt*. Injuriis laceſſita *non irritatur*, ut vindictam expoſcat: & ſi quas pœnas malefacienti proximo infligat, *non* ejus *cogitat malum*, ſed emendationem duntaxat quærit. Proximi peccata ut ſua lugens, *non gaudet ſuper ejus iniquitate*, ſed ejus virtutibus favet, quia *congaudet veritati*. Tandem *omnia ſuffert*, præ expectatione felicitatis æternæ: *Omnia credit*, præ revelatione Dei revelantis; *Omnia ſperat*, præ fiducia in fidelitate, & potentia pollicentis; *Omnia ſuſtinet*, præ deſiderio æternæ. Hi characteres Caritatis, quæ *numquam excidit*, & quæ Fide, & Spe major eſt: *Major autem horum eſt Caritas.*

Seipſum ſalubriter diligit, qui plus Deum quam ſeipſum diligit.

Quam explicamus Regulam, pluribus in locis confirmat *S. Aug.* ſcilicet Lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, c. 26. Fieri non poteſt (inquit) ut ſeipſum qui Deum diligit, non diligat; immo vero *Solus ſe novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille ſe ſatis diligit, qui ſedulo agit, ut ſummo, & vero perfruatur bono: quod ſi nihil eſt aliud, quam Deus, qui cunctari poteſt quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei?* Tum ſubdit: *Nullus certior gradus ad amorem Dei, quam hominis erga hominem caritas* .... Diliges proximum tuum tanquam te ipſum. *Te autem ipſum ſalubriter diligis, ſi plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo eſt, hoc eſt, ut ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis. Illud eſt enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non ſit anguſtum.* Ex hoc præcepto naſcuntur officia ſocietatis humanæ in eo poſita; Primo, ut benevoli ſimus, ideſt, nulla malitia, nullo dolo malo adverſus hominem utamur; quod Apoſtolus

Ex præcepto amoris proximi naſcuntur humanæ ſocietatis officia.

his verbis exprimit. *Dilectio proximi malum non operatur.* Duobus namque modis in hominem peccatur, *Uno ſi lædatur, alio ſi cum poteſt non adjuvetur: quorum neutrum, qui non diligit, facit.* Secundo, ut proximo benefaciamus, ſive ſecundum corpus, ſive ſecundum animam; Ad corpus quod pertinet, *Medicina* nominata eſt: ad animam autem, *Diſciplina*. Medicinæ nomine in præſentiarum ſignificatur quicquid corporis tuetur, vel inſtaurat ſalutem; unde non ſolum morborum remedia, ſive miniſteria, quæ exhibentur infirmis, ſed etiam cibum, & potum, tegmen, & tectum, defenſionem denique omnem, atque munitionem complectitur, quæ noſtrum corpus adverſus externos ictus caſuſque ſervatur, Diſciplina, quæ animi medicina eſt, in duo diſtribuitur, coercitionem, & inſtructionem, *Coercitio timore, inſtructio amore perficitur, ejus dico, cui per diſciplinam ſubvenitur: nam qui ſubvenit, nihil horum duorum habent, niſi amare.* Cujus diſciplinæ regulam duobus Teſtamentis nobis Deus dedit; Veteri, in quo prævalet timor: & Novo, in quo prævalet amor. *Qui ergo diligit proximum, agit quantum poteſt, ut ſalvus corpore, ſalvuſque animo ſit: ſed cura corporis ad ſanitatem animi referenda eſt. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primo timeat, deinde diligat Deum.*

Quid ſit diligere proximum ſicut ſeipſum.

Idem Sanctus Doctor Lib. *De Vera Religione*, cap. 46. egregie explicat, quid ſit diligere proximum ſicut ſeipſum: *Qui amat id ſolum, quod amanti eripi non poteſt*, inquit, *indubitanter invictus eſt, nec ulla cruciatur invidia. Id enim diligit, ad quod diligendum, & percipiendum quanto plures venerint, tanto eis uberius gratulatur, Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & diligit proximum tanquam ſe ipſum. Non ergo illi invidet, ut ſit, quod ipſe eſt; immo adjuvat, etiam quantum poteſt.* Et infra; *Si vel ipſum hominem homo dilexerit, non tanquam ſe ipſum, ſed tanquam jumentum, aut balneum, aut aviculam pictam, vel garrulam, ideſt, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat, ſerviat neceſſe eſt, non homini, ſed quod eſt turpius, tam fœdo, & deteſtabili vitio, quo non amat hominem ſicut homo amandus eſt. Quo vitio dominante, uſque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur.* Sed nec ab homine homo diligendus eſt (inquit *S. Auguſtinus*) ut diliguntur carnales fratres, vel conjuges, vel cognati quique, vel affines, aut cives. Nam & dilectio iſta temporalis eſt. Unde præcipit Dominus (*Luc.* 9. & 14.) ut carnales iſtas neceſſitudines odio habeamus. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. *Magis eſt inhumana non amare in homine, quod homo eſt; ſed amare, quod filius eſt; Hoc eſt enim non in eo amare illud, quod ad Deum pertinet, ſed amare illud, quod ad ſe pertinet. Quid ergo mirum ſi ad Regnum non pervenit, qui non communem, ſed privatam rem diligit? Immo utrumque, ait quiſpiam: Immo illud unum dicit Deus. Dicit enim veriſſime Veritas;* Nemo poteſt duobus dominis ſervire. *Nemo enim poteſt perfecte diligere, quo vocamur, niſi oderit unde revocamur; revocamur autem ab ejus dilectione quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde, ut liberemur, optamus. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi æternitatis caritate flagramus. Diligat homo proximum tanquam ſe ipſum. Certe enim ſibi ipſi nemo eſt pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam ſe ipſum, hoc in eo debet diligere, quod ſibi ipſe eſt. Corpora vero non ſunt, quod nos ſumus. Non ergo in homine corpus eſt expetendum, aut deſiderandum .... Ipſa igitur natura ſine carnali conditione diligenda eſt, ſive ſit perficienda, ſive perfecta. Omnes ſub uno Deo patre cognati ſunt, qui eum diligunt, & faciunt voluntatem ipſius. Et invicem ſibi ſunt, & patres cum ſibi conſulunt, & filii cum ſibi obtemperant, & fratres maxime, quia eos unus Pater teſtamento ſuo ad unam hæreditatem vocat.* Nihil ergo in homine diligendum eſt præter hominem, ideſt, creaturam Dei ad ejus imaginem factam. Idem tractat argumentum Epiſt. 155 alias 52. ad Macedonium, & Libro 1. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 22.

Non carnales neceſſitudines in homine diligendæ, ſed natura, quæ ad Deum pertinet, ſive ſit perficienda, ſive perfecta.

Matth. 6.

Omnes ſub uno Deo Patre cognati ſunt, qui eum diligunt.

Cur præceptum de proximi dilectione mandatum novum dicatur.

Nec minus luculenta ſunt, & præclara, quæ de eodem argumento habet in Tractatu 65. in *Joannem*, explicans hæc verba: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Mandatum novum a Domino appellari obſervat, quamvis antiqua Lege datum ſit, *Lev.* 19. quia exuto vetere, induit nos hominem novum. Addidit autem Chriſtus, *Sicut dilexi vos*, ut dilectionem iſtam a carnali dilectione diſtingueret. *Dilectio iſta nos innovat, ut ſimus homines novi, hæredes Teſtamenti novi, cantatores cantici novi. Hæc dilectio antiquos Juſtos, Patriarchas, & Prophetas, ſicut poſtea Beatos Apoſtolos innovavit; Ipſa & nunc innovat Gentes & ex univerſo genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarum, facit, & colligit Populum novum, corpus novæ nuptæ Filii Dei Unigeniti Sponſæ ∴ Propter quod pro invicem ſollicita ſunt membra in ea, & ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, & ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Audiunt enim, atque cuſtodiunt,* Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis: *non ſicut ſe diligunt, qui corrumpunt: nec ſicut ſe diligunt homines, quoniam homines ſunt. Sed ſicut ſe diligunt, quoniam Dei ſunt, & filii Altiſſimi omnes, ut ſint Filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipſe dilexit*

1. Cor. 12.

Jo. 13. 14.

lexit eos, perducturus eos ad illum finem, qui ſufficiat eis, ubi ſatietur in bonis deſiderium eorum. Tunc enim aliquid deſiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit. Et infra: *Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus,* Sicut dilexi vos. *Quid enim niſi Deum dilexit in nobis? Non quod habeamus, ſed ut haberemus: ut perducat nos, ubi ſit Deus omnia in omnibus.* Sic etiam *Medicus recte dicitur ægros diligere: & quid in eis niſi ſalutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum poſſumus invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus. Hanc donationem nobis donat ipſe, qui ait,* Sicut dilexi vos, *ut & vos diligatis invicem. Ad hoc ergo nos dilexit, ut & nos diligamus invicem: hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutua dilectione conſtringamur inter nos, & tam dulci vinculo connexis membris, corpus tanti Capiti ſimus.* In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem; *Tanquam diceret, Alia munera mea habent vobiſcum etiam non mei, non ſolum naturam, vitam, ſenſum, rationem, & eam ſalutem, quæ hominibus, pecoribuſque communis eſt; verum etiam linguas, Sacramenta, Prophetiam, ſcientiam, fidem, diſtributionem rerum ſuarum pauperibus, & traditionem corporis ſui, ut ardeant: ſed quoniam Caritatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil ſunt, nihil illis prodeſt. Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis quæ habere poſſunt etiam non diſcipuli mei: ſed in hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

Proximum ſicut ſeipſum diligere debet homo tripliciter.

Quomodo proximum ſicut ſe ipſum diligere Chriſtianus homo teneatur, præclare *S. Thom.* explicat, 2. 2. qu. 44. art. 7. Proximum ſcilicet ſicut ſe ipſum diligere debet tripliciter. Primo, ex parte finis, ut illum propter Deum diligat, ſicut ſe ipſum propter Deum diligere debet, *Ut ſit dilectio proximi ſancta*, Secundo, ex parte regulæ dilectionis; *Ut ſcilicet aliquis proximo non condeſcendat in aliquo malo; ſed ſolum in bonis*, ſicut & ſuæ voluntati ſatisfacere debet ſolum in bonis; *Ut ſit dilectio proximi juſta.* Tertio, ex parte rationis dilectionis, ut non diligat proximum propter utilitatem, vel delectationem propriam, ſed propter ejus bonum: *Ut ſit dilectio proximi vera.* Præclare *S. Aug.* Serm. 335. alias *de Tempore* 256. cap. 2. *Ille*, inquit, *veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.*

REGULA III.

Officium dilectionis erga proximum eſt, illius onera portare.

De dilectione proximi.

Hanc Regulam tradit Apoſtolus (ad *Galatas* cap. 6.) *Alter alterius onera portate* (inquit) *& ſic adimplebitis Legem Chriſti.* Hanc enim Chriſti legem dicere intelligitur, quia ipſe Dominus præcipit, ut nos invicem diligamus, tantum in ea præcepti pondus conſtituens, ut diceret: *In hoc cognoſcetur, quoniam diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis.* Hujus *autem dilectionis officium eſt, invicem onera noſtra portare;* (inquit *S. Aug.* Lib. *De Diverſis Quæſtionibus octoginta tribus*, qu. 71.) *Sed hoc officium, quod ſempiternum non eſt, perducet ſane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt noſtra onera, quæ invicem portare jubeamur. Nunc vero cum in hac vita, ideſt, in hac via ſumus, onera invicem noſtra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire poſſimus.* Id autem fit ſecundum diverſa tempora, & diverſa genera infirmitatum. “Verbi gratia, iram fratris tui nunc portas, cum adverſus eum non iraſceris, ut rurſus eo tempore, quo in te ira præoccupaverit, ille te lenitate, & tranquillitate ſua ſupportet, Loquacitatem tuam ille portat, tu illius pertinaciam caritate portare debes, donec illud in te, & iſtud in illo vitium ſanetur. Neque ulla res officioſum iſtum laborem ad portandâ onera aliorum facit libenter impendi, niſi cum cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus. Huic cogitationi etiam accedit alia cogitatio, quia ille ſuſcepit hominem, nos autem homines ſumus; & conſiderare debemus, quod ægritudinem, ſive corporis, ſive animi, quam in alio nomine videmus, etiam nos habere potuimus, aut poſſumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, ſi forte nos in ea eſſemus, & ipſe non eſſet. Ad hoc pertinet, quod Apoſtolus ait; *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifaciam*: Cogitando ſcilicet in eo vitio etiam ſe eſſe potuiſſe, unde cupiebat alium liberare. Deinde etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominem, qui non poſſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamſi lateat, in quo poſſit te eſſe ſuperior. Quæ cogitatio ad contundendam, edomandamque ſuperbiam valet, ne arbitreris quoniam tua quædam bona eminent, & apparent, ideo alterum nulla habere, quæ lateant, & fortaſſis majoris ponderis bona, quibus te ſuperat, neſcientem. Unde Apoſtolus ait: “*Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis: Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, id ipſum ſentientes: nihil per contentionem; neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Iſtæ cogitationes deprimentes ſuperbiam, & acuentes caritatem, faciunt onera fraterna invicem, non ſolum æquo animo, ſed etiam libentiſſime ſuſtineri. *Ipſa eſt ergo lex Chriſti, ut invicem onera noſtra portemus. Chriſtum autem diligendo, facile ſuſtinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona ſua diligimus. Cogitamus enim quia ille, quem diligimus, Dominus propter eum mortuus eſt. Quam caritatem Apoſtolus Paulus nobis ingeſſit, cum diceret.* Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. *Ut ſi illum infirmum, propter vitium, quo infirmus eſt, minus diligimus, illum in eo conſideremus, qui mortuus eſt propter illum. Chriſtum autem non diligere, non infirmitas, ſed mors eſt. Quapropter ingenti cura, & implorata Dei miſericordia cogitandum eſt, ne Chriſtum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Chriſtum.* Hæc S. Auguſt.

Joan. 15.

Philipp. 2.

1. Cor. 8.

REGULA IV.

Lethaliter peccat contra dilectionem proximi, qui de vita alicujus triſtatur, & de morte illius naturali gaudet, aut illam deſiderat inefficaci licet affectu, quamvis non ex diſplicentia perſonæ, ſed propter aliquod temporale emolumentum.

Ille enim, qui proximum ſicut ſeipſum non diligit, ille peccat contra mandatum novum, quo Chriſtus præcipit, ut proximum diligamus, ſicut Ipſe dilexit nos. Ille Caritatem non habet, quæ *Patiens eſt, benigna, non cogitat malum, non quærit, quæ ſua ſunt.* Illos namque motus cupiditas in corde illius regnans producit. Hinc *S. Aug.* Lib. *De vera Religione*, c. 46. ait: *Ea eſt regula dilectionis, ut quæ ſibi vult bona provenire, & illi velit; & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines ſervat. Nam erga neminem operandum eſt malum. Et dilectio proximi malum non operatur.* Merito itaque ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo damnata eſt illa Propoſitio, ordine 3.

Rom. 13.

Propoſitio damnata.

Si cum debita moderatione facias, potes, abſque peccato mortali, de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum:

Clerus etiam Gallicanus in generalibus Comitiis anno 1700. ſic iſtam Propoſitionem confixit. *Hujus Propoſitionis doctrina ſcandaloſa, & pernicioſa eſt, piarum aurium offenſiva, & ſecundo caritatis præcepto contraria, hæretica.*

REGULA V.

Ordo in caritate ſervandus eſt.

Ordo caritatis.

Id probant verba cœleſtis Sponſæ, Canticorum 2. *Ordinavit in me caritatem.* Deus ergo præ omnibus diligendus; deinde nos ipſi ſecundum Deum: tum proximus, cujus ſalus proprio corpore carior nobis eſſe debet: inter proximos vero, primum parentes, & conſanguinei, quibus magis ſubvenire debemus in his, quæ pertinent ad naturam, ſcilicet *in proviſione neceſſariorum*; tum amici, denique omnes homines, etiam inimici. Qua de re legi poteſt *S. Thom.* 2. 2. qu. 26.

Hanc Regulam egregie confirmat *S. Aug.* Lib. 1. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 27. *Ille autem juſte, & ſancte vivit, qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut non diligat, quod eſt diligendum, aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum, aut æque diligat, quod minus, vel amplius diligendum eſt, aut minus, vel amplius, quod æque diligendum eſt. Omnis peccator in quantum peccator eſt, non eſt diligendus; & omnis homo in quantum homo eſt, diligendus eſt propter Deum, Deus vero propter ſe ipſum. Et ſi Deus omni homine amplius diligendus eſt, amplius quiſque debet Deum diligere, quam ſe ipſum. Item amplius alius homo diligendus eſt, quam corpus noſtrum; quia propter Deum omnia iſta diligenda ſunt, & poteſt nobiſcum alius homo Deo perfrui, quod non poteſt corpus: quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Omnes autem æque diligendi ſunt: ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte junguntur. Sicut enim ſi tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret; nihil juſtius faceres, quam ut ſorte legeres, cui dandum eſſet, quod dari utrique non poſſet: ſic in hominibus, quibus omnibus conſulere nequeas, pro ſorte habendum eſt, prout quiſque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit.*

Idem confirmat *S. Bern.* Serm. 50. in Cantica. *Da mihi*,

ſi, inquit, *hominem, qui ante omnia quidem ex toto diligat Deum; ſe vero, & proximum in quantum diligunt ipſum; inimicum autem tamquam aliquando forſitan dilecturum: porro parentes carnis ſuis germanius propter naturam ſpirituales vero eruditores ſuos profuſius propter gratiam, atque in hunc modum ad cetera quæque Dei ordinato intendat amore, deſpiciens terram, ſuſpiciens cælum, utens hoc Mundo tamquam non utens, & inter utenda, & fruenda intimo quodam mentis ſapore diſcernens, ut tranſitoria tranſitorie, & ad id dumtaxat, quod opus, & prout opus eſt curet, æterna deſiderio ampléctatur æterno: talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum ſapientem pronuntio, cui nimirum quæque res revera ſapiunt prout ſunt; & cui in veritate, atque ſecuritate competit gloriari, & dicere:* Quia ordinavit in me caritatem.

REGULA VI.

Non pervertitur ordo caritatis, cum circa res proximi magis occupamur, quam circa Deum, reſque Dei; modo dilectioni Dei hominis dilectio non præponatur.

Activa enim caritas inferiora præfert, utpote quæ opera ſua magis egent: Affectiva vero caritas ſuperiora, ut docet *S. Bern.* Serm. 50. in Cantica. *In bene affecta mente*, inquit, *non dubium quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in bene ordinata actione ſæpe, aut etiam ſemper ordo oppoſitus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur: & infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus; & paci terræ magis, quam cæli gloriæ jure humanitatis, & ipſa neceſſitate intendimus: & temporalium inquietudine curarum vix aliquid ſentire de æternis permittimur: & languoribus noſtri corporis poſtpoſita animæ cura pæne continue inſervimus... Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde caritate jubente abducimur, & avellimur propter eos, qui noſtra indigent*

De proximi dilectione.

opera, vel loquela? Quoties piæ cedit negotiorum tumultibus quies? Quoties bona conſcientia ponitur codex, ut operi manuum inſudetur? Quoties pro adminiſtrandis terrenis, juſtiſſime ipſis ſuperſedemus celebrandis Miſſarum ſollemniis? Ordo præpoſterus, ſed neceſſitas non habet Legem. Agit ergo ſuum actualis caritas ordinem juxta patris familias juſſionem incipiens a noviſſimis. Pia certe, & juſta, quæ non ſit acceptrix perſonarum, nec pretia conſideret rerum, ſed hominum neceſſitates. At non ita affectualis, nam a primis ipſa ducit ordinem. Eſt enim ſapientia per quam utique quæque res ſapiunt, prout ſunt; ut (verbigratia) quæ pluris natura habet, pluris quoque ipſa affectio ſentiat, minora minus, minima minime. Et illum quidem ordinem caritatis veritas facit, hunc autem veritatis caritas vindicat ſibi. Nam & vera in hoc eſt caritas, ut qui indigent amplius, accipiant prius: & rurſus in eo clara apparet veritas, ſi ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.

REGULA VII.

Unuſquiſque tenetur proximo ſuo ſpiritualem neceſſitatem extremam patienti ſubvenire, etiam cum certo mortis periculo, ſi ſpes affulgeat, quod juvari poſſit.

Jo. 13. & 15.

Jubet enim Chriſtus, ut diligamus invicem, ſicut ipſe dilexit nos: at Chriſtus vitam ſuam pro nobis poſuit, cum in extrema neceſſitate conſtituti eſſemus. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere;* (inquit *S. Joannes* Epiſt. 1. cap. 3.)

Hanc Regulam confirmat *S. Aug.* Lib. *De Mendacio*, c. 6. *Temporalem plane vitam ſuam*, inquit, *pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere: hoc enim præceſſit exemplum, ut pro nobis Dominus ipſe moreretur. Ad hoc enim & ait:* Hoc eſt *præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet,*

Jo. 15. 13.

quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Non enim quiſquam eſt ita deſipiens, ut dicat aliud, quam ſaluti ſempiternæ hominum conſuluiſſe Dominum, vel faciendo, quod præcipit, vel præcipiendo, quod fecit.

Idem confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 26 art. 5. ad tertium: *Non eſt*, inquit, *de neceſſitate caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi*, Niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere.

Et Opuſculo *De Perfectione Vitæ Spiritualis*, cap. 14. *Plus debemus*, inquit, *proximum diligere, quam corpora noſtra. Unde vitam corporalem pro ſalute ſpirituali proximorum ponere convenit. Et hoc cadit ſub neceſſitate præcepti in neceſſitatis articulo, puta, ſi aliquis videret aliquem ab infidelibus ſeduci, deberet ſe mortis periculo exponere, ut eum ſeductione liberaret. Sed quod aliquis extra hos neceſſitatis caſus pro ſalute eorum mortis periculis ſe exponat, pertinet ad perfectionem juſtitiæ, vel ad perfectionem conſilii.* Quoties igitur proximus in æternum periturus eſt, niſi ipſum adjuvemus, ut ſi infans Chriſtianorum filius moriturus ſit ſine baptiſmo, vel adultus in peccato mortali e vita diſceſſurus, niſi ipſi ſuccurratur, vitam exponere debet, qui derelictum videt infantem illum, contagioſo forte morbo laborantem; Sacerdos obvius exponere ſe debet periculo, ut Sacramentum Pœnitentiæ adulto, de cujus morte timetur, Sacerdotem petenti adminiſtret, illis abſentibus, vel recuſantibus, quibus ex officio incumbit.

REGULA VIII.

Epiſcopi, & Paſtores tenentur cum vitæ ſuæ periculo ſuis ovibus ſuccurrere, gravem neceſſitatem ſpiritualem patientibus.

Tenentur enim ex officio oves ſuas paſcere tum Sacramentis, tum verbo Dei, præſertim cum ad illorum ſalutem id neceſſarium eſt. Præterea, *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Idque confirmat diſerte *S. Aug.* Ep. 238. alias 180. ad *Honoratum*, ſcribens: *Cum plebs manet, & Miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ovibus; Veniet enim lupus, non homo, ſed diabolus, qui plerumque fideles apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici Corporis defuit; & peribit infirmus in tua non ſcientia, ſed ignorantia, frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Quantum autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, ſed fortitudine ſuperantur, quare non potius contra ſuum timorem Domino miſerante, atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala ſine comparatione graviora, quæ multo amplius ſunt tremenda, contingant? Fit hoc ubi Dei caritas flagrat, non Mundi cupiditas fumat. Caritas enim dicit:* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? *Sed caritas ex Deo eſt. Oremus ergo, ut ab illo detur, a quo jubetur. Et per hanc magis timeamus, ne oves Chriſti ſpiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocunque mortis genere morituri ſunt. Magis timeamus, ne, ſenſu interiori corrupto, pereat caſtitas fidei, quam ne fœminæ violenter conſtuprentur in carne: Quia violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur. Quoniam, nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur: ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur. Magis timeamus, ne lapides, vivi extinguantur, deſerentibus nobis, quam ne lapides, & ligna terrenorum ædificiorum incendantur, præſentibus nobis. Magis timeamus, ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpirituali victu necentur, quam ne membra corporis noſtri oppreſſa hoſtili impetu torqueantur. Non quia iſta non ſunt vitanda, cum poſſunt, ſed quia potius ferenda ſunt, quando vitari ſine impietate non poſſunt: niſi forte quiſquam contenderit non eſſe Miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahit Miniſterium pietati neceſſarium, quando magis eſt neceſſarium.*

Paſtorum caritas.

Joan. 10.

1. Cor. 8.

2. Cor. 11. 29.

REGULA IX.

Contra Præceptum de Proximi dilectione lethaliter peccant, qui Inimicos odio habent.

Quæ rationes ad inimicorum dilectionem movere nos debeant.

Proximi namque nomine, quem Deus jubet, ut ſicut nos ipſos diligamus, omnes homines intelliguntur; ut Chriſtus Legisperito quærenti, quis eſſet ſuus proximus, explicat *Lucæ* 10. parabola hominis, qui deſcendens ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones. Et ne quis ea de re dubitare poſſet Chriſtianus, præceptum de inimicorum dilectione tradidit expreſſe Matth. 5. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Conſideranda eſt auctoritas jubentis, exempla ad implendum præceptum invitantia, præmium obedientibus promiſſum. Deus jubet: *Ego autem dico vobis:* Qui nos creavit, qui nos redemit, qui nos ſanctificavit, cui omnia debemus, Conditor noſter, Salvator noſter, Dominus, Legiſlator, & Magiſter noſter, nobis præcipit, ut inimicos diligamus. Cum Jacob e domo Laban cum uxore ſua, totaque familia, & gregibus, boniſque omnibus clam receſſiſset, Laban vehementer iratus fugientem perſecutus eſt: veruntamen Dei auctoritate, qui in ſomnis illi apparuerat, deterritus, nullum Jacob malum intulit: immo fœdus cum ipſo iniit, *Stulte*, inquit, *operatus es: & nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum, ſed Deus Patris veſtri heri dixit mihi: Cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* Si tantum valuit apud Ethnicum hominem auctoritas Dei, quem non cognoſcebat, ut omne ultionis deſiderium, omnemque odii motum in ejus corde extingueret: quanti ponderis eſſe debet apud Chriſtianos auctoritas Dei, in quem credunt, quem adorant, qui ſerviunt, ad inimicorum dilectionem in eorum animis excitandam? Mortuo Jacob, filii ejus veriti, ne Joſeph eorum frater memor eſſet injuriæ, quam ipſi olim intulerant, Patris auctoritate, ac Mandato ipſum ſibi propitium reddere conati ſunt, dicentes: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, ut ſervis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joſeph, &c.* Si Patris nomen, atque Mandatum Ioſeph propitium fratribus effecit, quidni Dei auctoritas Chriſtianos inimicis benevolos reddet? Maxime cum exemplo Patris cæleſtis, & exemplo Chriſti ad hanc dilectionem invitentur, magnumque præmium propoſitum ſit tantum præceptum implentibus, dignitas nempe filiorum Dei, æternaque hæreditas filiis Dei promiſſa, & parata. Nam ſi filii, & hæredes: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* De magno illo dilectionis inimicorum mandato *S. Aug.* diſſerens Serm. 317. alias 92. *De Diverſis*, hæc habet: *Grave præceptum, ſed grande præmium:* Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus vos, *Audiſti opus, exſpecta mercedem:* Ut ſitis (*inquit*, filii Patris veſtri qui in cælis eſt. *Numquid dictum eſt nubibus, Pluite ſuper agros cultorum meorum, & recedite ab agris blaſphematorum meorum? Nunquid dictum eſt Soli, Videant te, qui me colunt, non te videant, qui mihi maledicunt? Beneficia de cælo, beneficia de terra: ſcatent fontes, agri pingueſcunt, arbores fructibus onerantur. Habent iſta boni, habent & mali, habent grati, habent ingrati. Qui præſtat tanta bonis, & malis, putamus nihil ſervet bonis? Hoc dat bonis, & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani: hoc vero ſervat bonis, quod dedit Stephano.*

Gen. 31.

Gen. ult.

Præmium.

Rom. 8.

Exempla.

Mox exempla dilectionis inimicorum proponit, quibus ad hanc invitamur. *Exemplum propoſitum eſt de Deo Patre, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Dixit hoc etiam Filius Dei poſt acceptionem carnis ſuæ per os carnis ſuæ, quam ſuſcepit amando inimicos ſuos. Qui enim amator inimicorum ſuorum in mundum venit, omnes prorſus inimicos ſuos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis ſanguinem fudit: ſed ſanguine ſuo inimicos convertit. Inimicorum ſuorum peccata ſanguine ſuo delevit: delendo peccata, ex inimicis amicos fecit. Oſtendit tamen primus ipſe Dominus in Cruce, quod monuit. Undique enim Judæis frementibus, iraſcentibus, irridentibus, inſultantibus, crucifigentibus, ait,* Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. *Cæcitas enim me crucifigit. Cæcitas crucifigebat; & Crucifixus eis de Sanguine ſuo collyrium faciebat. Sed homines pigri ad præceptum, avidi ad præmium, qui non diligunt inimicos ſuos, ſed de illis ſe vindicare affectant, nec attendunt Dominum, qui ſi vellet ſe vindicare de inimicis ſuis, non remaneret, qui laudaret eum; quando audiunt locum iſtum Evangelii, quo Dominus in Cruce dixit:* Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt, *dicunt ſibi: Ipſe hoc potuit, tanquam Filius Dei, tanquam unicus Patris. Caro enim pendebat, ſed Deus intus latebat. Nos autem quid ſumus, qui iſta faciamus? Si multum ad te putas imitari Dominum tuum; attende Stephanum conſervum tuum. Sic natus eſt ut tu; inde natus eſt, unde & tu; ab eo renatus eſt, a quo & tu; tanti valet, quanti vales. Unum inſtrumentum nobis factum eſt. Evangelium inſtrumentum eſt, quia filii ſumus, teſtamentum eſt. Ipſum attende, conſervum attende... Nemo dicat, Multum eſt ad me: Homo erat, homo es. Sed non accepit a ſe. Nunquid accepit, & clauſit tibi? Fons communis eſt: bibe, unde bibit. Beneficio Dei accepit: abundat, qui dedit; & tu pete, & accipe.*

Cum inimicos diligimus, fratres diligimus.

Idem *S. Aug.* Tract. 8. in Epiſtolam *S. Joannis*, quærit, cur Dilectus Diſcipulus in Epiſtola ſua nihil commendet, niſi fraternam caritatem, de inimicorum vero dilectione prorſus taceat; cum tamen Chriſtus jubeat, ut diligamus inimicos. Reſpondet vero S. Doctor: *In eo etiam, quod diligitis inimicos, fratres diligitis... Quæro quare diligas inimicum; quare illum diligis? Ut ſanus ſit in hac vita? Quid ſi non illi expedit? Ut dives ſit? Quid ſi ipſis divitiis excæcabitur? Ut uxorem ducat? Quid ſi amaram vitam inde patietur? Ut filios habeat; quid ſi mali erunt? Incerta ſunt ergo iſta, quæ videris optare inimico tuo, quia diligis eum. Opta illi, ut habeat tecum vitam æternam: Opta illi, ut ſit frater tuus. Si ergo hoc optas, cum diligis inimicum, ut ſit frater tuus: cum eum diligis, fratrem diligis. Non enim amas in illo quod eſt, ſed quod vis ut ſit. Dixeram aliquando caritati veſtræ: Robur eſt ligni poſitum ante oculos, faber optimus vidit lignum non dolatum, de ſilva præciſum, adamavit: neſcio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut ſemper ſic maneat. In arte vidit, quod futurum eſt, non in amore, quod eſt: & amavit quod inde facturus eſt, non illud quod eſt. Sic & nos Deus amavit peccatores. Ait enim:* Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. *Nunquid ad hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneremus? Quaſi lignum de ſilva vidit nos faber, & cogitavit ædificium, quod inde facturus eſt, non ſilvam quod erat. Sic & tu reſpicis inimicum tuum, adverſantem, ſævientem, mordentem verbis, exaſperantem contumeliis, inſectantem odiis: attendis ibi, quia homo eſt. Vides iſta omnia, quæ adverſa ſunt ab homine facta: & vides in illo, quod a Deo factus eſt. Quod autem homo factus eſt, a Deo factus eſt. Quod autem te odit, ipſe fecit; quod invidet, ipſe fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine, propitius illi eſto, dimitte illi peccata; incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo quod eſt, ſed quod vis ut ſit. Ergo cum inimicum amas, fratrem amas. Quapropter perfecta dilectio eſt inimici dilectio: quæ perfecta dilectio eſt in dilectione fraterna. Et nemo dicat, quia aliquid minus non monuit Joannes Apoſtolus, & plus nos monuit Dominus Chriſtus: Joannes nos monuit, ut fratres diligamus; Chriſtus nos admonuit, ut etiam inimicos diligamus. Nunquid, ut ſemper remaneant inimici? Si ad hoc te monuit, ut inimici remaneant, odis, non diligis. Attende, quomodo ipſe dilexit, ideſt, quia nolebat, ut ſic remanerent perſecutores, ait.* Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Quibus voluit ignoſci, mutari illos voluit: quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus eſt, & vere ſic fecit.*

Matth. 9.

Inimicorum dilectio.

Luc. 23.

Et infra: *Sævit in te homo? Ille ſævit, tu precare: ille odit, tu miſerere. Febris animæ ipſius te odit: ſanus erit, & gratias tibi aget. Quomodo Medici diligunt ægrotos? Ad hoc diligunt, non ut ægroti remaneant, ſed ut ex ægrotis ſani fiant. Et quanta plerumque patiuntur a phreneticis? Quales contumelias verborum? Plerumque, & percutiuntur. Perſequitur ille febrem, ignoſcit homini; & quid dicam, Fratres? Amat inimicum ſuum? Immo odit inimicum ſuum morbum, & amat hominem, a quo percutitur; odit febrem: illud tollit, quod illi adverſatur, ut remaneat illud, unde gratuletur. Sic & tu: ſi odit te inimicus tuus, & injuſte te odit, noveris, quia cupiditas ſæculi in illo regnat, propterea te odit. Si odiſti illum & tu, contra reddis malum pro malo. Unum ægrotum flebam, qui te oderat: jam duos plango, ſi & tu odiſti. Sed perſequitur rem tuam; tollit tibi neſcio quæ, quæ habes in terra: ideo illum odiſti, quia anguſtias tibi facit in terra. Noli pati anguſtias, migra in cælum ſurſum: Cor ibi habebis, ubi latitudo eſt, ut nullas anguſtias patiaris in ſpe vitæ æternæ. Attende, quæ tibi tollit: nec ipſa tibi tolleret, niſi ille permitteret; qui flagellat omnem filium quem recipit. Quodammodo ferramentum Dei eſt, quo ſaneris, ipſe inimicus tuus. Si novit Deus utile tibi eſſe ut expoliet te, permittit illum: ſi novit tibi utile eſſe ut vapules, permittit illum, ut cædaris: de illo te curat, opta, ut ille ſanetur.*

Inimicos itaque diligere tenemur vi illius præcepti, quo fratres, & proximos tenemur diligere. Umde Tertullianus Apologetici, cap. 39. ſic Paganos alloquitur: *Fratres autem etiam veſtri ſumus jure naturæ matris unius, et ſi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis?* Hinc ut idem ait: *Chriſtianus nullius eſt hoſtis.* Et hæc propria nota Chriſtianorum; unde Pagani ſolebant dicere: *Videte, ut invicem ſe diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati.*

Et *Minucius Felix*, in Octavio; *Si nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ, ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus, ſic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus; ſic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes. Vos enim nec invicem agnoſcitis, & in multa odia ſævitis: nec vos fratres ſi ſane ad parricidium recognoſcitis.*

REGULA X.

Speciali dilectione erga inimicos affici, extra neceſſitatis articulum, minime neceſſe eſt, ſed ſolum in animi præparatione.

Inimicorum dilectio.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. 25. art. 8. *Dilectio inimicorum*, inquit, *tripliciter poteſt conſiderari. Uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum ſunt inimici: & hoc eſt perverſum, caritati repugnans: quia hoc eſt diligere malum alterius; Unde S. Aug.* Lib. 10. *Contra Fauſtum*, c. 24. *Hæc regula eſt*, inquit, *qua & oderimus inimicum propter id, quod in eo malum eſt, ideſt iniquitatem: & diligamus inimicum propter id, quod in eo bonum eſt, ideſt ſocialem, rationalemque naturam. Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, ſcilicet in univerſali: & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate caritatis; ut ſcilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat. Tertio modo poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali: ut ſcilicet aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & iſtud non eſt de neceſſitate caritatis abſolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter, eſt de neceſſitate caritatis, quia hoc eſſet impoſſibile. Eſt tamen de neceſſitate caritatis ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret. Sed quod abſque articulo neceſſitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Cum enim ex caritate diligatur proximus propter Deum; quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem oſtendit, nulla inimicitia impediente. Sicut ſi aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipſius filios ejus amaret, etiam inimicos ſibi.*

RE-

REGULA XI.

Ad exhibenda inimicis ſigna, & officia dilectionis, quæ proximis in communi exhibentur, neceſſario tenemur; alioquin caritatis præceptum violamus, & lethaliter peccamus.

Ita docet *S. Th.* art. 9. quæſtionis mox indicatæ. *Sunt*, inquit, *quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi; puta, cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et alia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere, eſt de neceſſitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ; contra id, quod dicitur* Lev. 19. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

REGULA XII.

Beneficia, vel ſigna dilectionis, quæ amicis ſpecialiter exhibemus, inimicis exhibere non tenemur, niſi ſecundum præparationem animi.

Inimicorum dilectio. Ita docet ibidem S. Thomas: *Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere, non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi; ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis, ſecundum illud Prov.* 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum? Si ſitierit, potum da illi. *Sed quod præter articulum neceſſitatis hujuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem caritatis, per quam aliquis non ſolum cavet* vinci a malo, *quod neceſſitatis eſt; ſed etiam vult* in Bono vincere Malum, *quod eſt perfectionis: dum ſcilicet non ſolum cavet propter injuriam ſibi illatam pertrahi ad odium, ſed etiam per ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſui amorem.*

REGULA XIII.

Specialia beneficia, vel ſigna dilectionis exhibenda ſunt inimicis in articulo neceſſitatis.

Cum enim inimicos diligere teneamur, eiſque certis in caſibus benefacere, & dilectionem, quæ ad eos etiam extenditur, ſignis quibuſdam promere; id maxime faciendum eſt in articulo neceſſitatis, ſecundum illud ex *Prov.* 25. jam adductum, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Et illud Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Atque ita præcipit Chriſtus: *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Quam ob rem lethaliter peccat, qui inimico in articulo neceſſitatis non ſubvenit, cum poteſt. Articulum autem neceſſitatis intellige, non ſolum cum proximus extreme indiget ſeu corporalibus, ſeu ſpiritualibus ſubſidiis; ſed etiam, cum in gravi periculo vitæ, famæ, aut everſionis rerum ſuarum, ſtatus, fortunæque verſatur. Item, cum illius ſalutem veriſimiliter ſperare licet, quæ alioqui periclitaretur. Item cum ſcandalum metuendum eſt, niſi particularia quædam benevolentiæ ſigna illi exhibeamus.

REGULA XIV.

Salutationem, colloquium, ſpeciales orationes inimicis exhibere tenemur, cum id neceſſarium eſt ad vincendum odium, in quod ſumus propenſi, vel ad ſcandalum avertendum, vel ad reconciliandum inimicum, ipſumque ad caritatem, & ad Deum reducendum.

Tenemur enim cavere, ne a malo vincamur, quod in illis circumſtantiis facile continget, niſi ſalutatione, colloquio, ſpecialibus orationibus vincamus in bono malum,
Inimicorum dilectio. Rom. 12. ut Apoſtolus jubet, dicens: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Hinc *David*, cum infeſtos inimicos pateretur, ad Deum confugiens, hunc in modum oravit: *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris: Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.* Quem locum explicans *S. Aug.* Enarratione in Pſalm. 54. ait, *Cum aliquid tale patitur Chriſtianus, non debet facile velut odio ire in eum a quo patitur, & velle ventum vincere: ſed convertere ſe ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum eſt, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim*
Matth. 5. Matth. 10. &c. *facturus eſt? Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in conviciis ſæviturus: ſed quid tibi?* Gaudete, *inquit*, & exultate, quoniam merces veſtra magna eſt in cœlis. *Ille in terra germinat convicia, tu in cœlo lucra. Sed ſæviat amplius, poſſit & aliquid amplius; quid te ſecurius, cui dictum eſt,* Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere? *Quid eſt ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur tibi dilectio, qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro, & ſanguis, quod videt in te appetit. Alius autem inimicus occultus, rector harum tenebrarum, quas tu pateris in carne, & ſanguine, alterum occultum tuum petit, theſauros tuos interiores deprædari, & vaſtare molitur.* Ephſ. 6. *Duos ergo inimicos conſtitue tibi ante oculos, unum apertum, & alterum occultum: apertum, hominem; occultum, diabolum. Homo ille hoc eſt, quod tu ſecundum naturam humanam, ſecundum fidem autem, & dilectionem nondum quod tu, ſed poterit eſſe quod tu: Cum ergo ſint duo, unum vide, alterum intellige: unum dilige, alterum cave.* Duo inimici, unus apertus, alter occultus, unus diligendus, alter cavendus. *Namque & inimicus ille, quem vides, hoc in te vult humiliare, unde vincitur. Verb. gr. ſi divitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere: ſi honore tuo vincitur, humilem te vult facere; ſi viribus tuis vincitur, debilem te vult facere; ea ergo attendit in te, vel dejicere, vel auferre, quibus vincitur. Et ille occultus inimicus illud tibi vult tollere, unde vincitur; homo enim hominem vincis humana felicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, & detruncare, aut evertere felicitatem, qua vincitur, ſic & diabolus hominem vult vincere auferendo, unde vincitur. Sed cura in corde ſervare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæviat homo quantum poteſt; auferat quicquid poteſt; ſi diligitur aperte ſæviens, victus eſt occulte ſæviens.* Cum igitur totis viribus enitendum ſit, ne dilectionem amittamus, ſpecialem affectum, ſignaque particularia, & officia benevolentiæ inimicis exhibere debemus, cum id neceſſarium eſt ad vincendum odium, in quod ſumus propenſi. Ad id etiam tenemur, cum neceſſarium eſt ad avertendum ſcandalum, quale contingit, cum conſanguinei, vel affines in primo gradu ſalutationem, colloquium, aliaque officia ſibi negant, cum filii parentes, frater fratrem non viſitant, nec familiariter illis convivunt, ut ſolebant ante exorta diſſidia. *Væ* enim *homini illi, per quem ſcandalum venit.* Matth. 5. Denique particularia benevolentiæ ſigna, & officia inimicis exhibere tenemur, ſi id neceſſarium, vel utile fore intelligamus, ut nobis reconcilientur, & ad caritatem, Deumque reducantur. *Unicuique* enim *mandavit Deus de proximo ſuo:* Eccl. 17. & ſi aſinum, vel bovem inimici errantem ad ipſum reducere tenemur, multo magis inimicum ipſum errantem reducere tenemur ad Deum, quod ſummum bonum eſt, ad quod debemus, & *a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere* (ut *S. Aug.* loquitur.)

REGULA XV.

Lethalis peccati reus eſt, qui grave malum optat, vel imprecatur inimico, aut de illius adverſitate gaudet.

Inimicorum dilectio. Hic enim divinum præceptum de inimicorum dilectione a Chriſto renovatum violat: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Longe certe abeſt a dilectionis affectu, & ab animo benefaciendi, qui malum alteri optat, vel imprecatur, aut de illius adverſitate gaudet. Unde Spiritus Sanctus Prov. 24. 17. ait: *Cum ceciderit inimicum tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam.* Iſtius peccati gravitatem eodem Spiritu afflatus *Job* indicat (cap. 31. 29. 30.) *Si gaviſus ſum* (inquit) *ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultavi, quod inveniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum ut expeterem maledicens animam ejus.* Si quis tamen vel inimico, vel alteri leve malum imprecatur, vel maledictionis verba profert *ex levi motu, vel ex ludo, aut ex ſurreptione aliqua*, ut frequenter accidit mulierculis, quæ maritis etiam, aut filiis, immo & ſibi ipſis mortem imprecatur ex ira, aut mœrore; cum tamen ita ſint affectæ, aut de eorum morte dolerent, ejuſque periculum ab ipſis avertere pro viribus niterentur, *veniale peccatum* eſt: *quia peccata verborum maxime ex affectu penſantur.* Ita docet *S. Th.* 2. 2. q. 76. art. 3. Sed optare alicui grave malum, *ſecundum ſe repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipſius:* & ita *eſt peccatum mortale.*

REGULA XVI.

Inimicos a communibus orationibus noſtris, quas pro aliis fundimus, excludere, aut contra illos Deum orare, lethale peccatum eſt.

Id enim directe adverſatur præcepto Chriſti: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri cœleſtis.* Adverſatur & orationis, quam nos Dominus docuit, petitioni: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matth. 12. Quamobrem illius oratio, qui ab orationibus ſuis inimicos excludit, aut adverſus ipſos Deum precatur, non ſolum non delet peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum, *Nullo modo tibi poteſt nocere ſæviens inimicus, quantum tibi noces, ſi non diligis inimicum. Ille enim nocere poteſt aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut ſervo tuo, aut ancillæ tuæ, aut filio tuo, aut conjugi tuæ: aut ut multum, ſi illi data fuerit poteſtas, carni tuæ: numquid quomodo tu, animæ tuæ?* Debemus igitur inimicos diligere; diligere autem ex caritate non poſſumus, niſi ſpiritualia, & æterna bona ipſis optemus. Si autem hæc

vere

vere ipſis optamus, & pro ipſis a Deo illa ſupplices petimus. *Saulus* inimicus erat Eccleſiæ; oratum eſt pro illo, factus eſt amicus. Non ſolum deſtitit eſſe perſecutor, ſed laboravit, ut eſſet adjutor. Et ſi verum quæras, *Oratum eſt contra illum: ſed contra ejus malitiam, non naturam: Ora & tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quaſi inimico caruiſti, ſed nec amicus inveniſti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amiſiſti, & amicum inveniſti.* Verba ſunt *S. Auguſtini*, Serm. 56. alias *De Diverſis* 47. cap. 10.

Hanc Regulam confirmat Concilii Toletani 17. *ſub Egica Rege*, anno 1694. celebrati Canon 5. contra Sacerdotes editus. *Qui Miſſam pro requie Defunctorum promulgatam, fallaci voto pro vivis ſtudebant celebrare hominibus, non ob aliud, niſi ut is, pro quo offerebatur Sacrificium, ipſius ſacroſancti libaminis interventu, mortis, ac perditionis incurreret periculum: & quod cunctis datum eſt in ſalutis remedium, illi hoc perverſo inſtinctu quibuſdam eſſe expetebant in interitum.* Sacerdotes tanti crimini reos *a proprio deponi gradu*, & tam ipſis, quam illis, qui ad talia peragenda ipſos incitaverint, *Exilii perpetui ergaſtulo relegatis, excepto in ſupremo vitæ curriculo, cunctis vitæ ſuæ diebus, Sacræ Communionis denegari perceptionem* decernit.

Nec repugnant Regulæ, quam explicamus, imprecationes adverſus inimicos, quæ in Prophetis leguntur, ut illud Pſalmi 68. *Fiat menſa eorum in laqueum;* & illud Pſ. 108. *Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua,* &c. & quod Chriſtus etiam Dominus maledixerit civitatibus, quæ verbum ejus non receperunt; & Apoſtolus de quodam dixerit: *Reddet illi Dominus ſecundum opera ejus.*

Matth. 11. Lucæ 10. Hæc enim facile ſolvuntur, quia & Propheta per imprecationem, quid eſſet futurum cernit, *Non optantis voto, ſed ſpiritu prævidentis*, Ita & Dominus, ita & Apoſtolus: quanquam in horum etiam verbis non hoc invenitur, quod optaverint, ſed quod prædixerint. Non enim cum ait Dominus, *Væ tibi Capharnaum*, aliud ſonat, niſi aliquid ei mali eventurum merito infidelitatis: *Quod futurum Dominus non malevolentia optabat, ſed divinitate cernebat.* Et Apoſtolus non ait: *Reddat*, ſed, *Reddet illis Dominus ſecundum opera ejus:* quod verbum *prænuntiantis eſt, non imprecantis.*

Nec etiam repugnat clamor Martyrum, qui ſanguinem ſuum adverſus inimicos a Deo vindicari precantur, Apocal. 6. Non enim contra ipſos homines, ſed contra Regnum peccati vindictam petere ſunt intelligendi. *Nam ipſa eſt ſincera & plena juſtitia & miſericordiæ vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpeſſi ſunt... Deſtruitur autem, & evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro ſpiritui ſubjiciatur; partim damnatione perſeverantium in peccato, ut ita juſtitia ordinetur, ut juſtis cum Chriſto regnantibus, moleſti eſſe non poſſint. Quis ergo convincit Martyres Sanctos non talem ſuam vindictam a Domino eſſe deprecatos, cum etiam finem hujus ſæculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad ſuam vindictam potuerint licenter optare? Quod qui orant, & pro inimicis ſuis orant: qui ſanabiles ſunt, & contra illos non orant, qui inſanabiles eſſe voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos, non eſt malevolus tortor, ſed juſtiſſimus ordinator.* Sic reſpondet *S. Auguſt.* Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, c. 21. & 22.

Quamvis denique Scriptura ſacra quædam eſſe fratrum peccata ſignificet, pro quibus non eſt præceptum, ut oremus, 1. Joannis 5. *Eſt peccatum ad mortem, pro illo non dico, ut roget quis:*
Rom. 12. contra neminem tamen, quantumvis inimicum, orandum eſt. Generaliter enim dictum eſt, Benedicite, & nolite maledicere: & illud. Nemini malum pro malo reddentes. *Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam ejus pœnam, & penitus deſperatam ſalutem, & non quia odiſti eum, ideo pro illo non oras; ſed quia ſentis nihil te poſſe proficere; & orationem tuam non vis repelli a juſtiſſimo Judice.* Verba ſunt *S. Auguſtini*, ibidem.

REGULA XVII.

Inimico etiam in odio pertinaci tenemur injuriam dimittere in præparatione animi, ideſt, odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum deponere: alioqui lethali peccati rei ſumus.

Inimicorum dilectio. Hæc Regula nititur Chriſti verbis (Matth. 6.) *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Hanc Regulam *S. Auguſtinus* confirmat, Serm. 219. alias *De Diverſis*, 73. *Negligens* (inquit) *inimicitias finire obliviſcitur; pertinax veniam non vult concedere, cum rogatur; ſuperbe verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt; ſed animas, in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra pertinaciam miſericordia, contra ſuperbam verecundiam ſubmiſſa prudentia. Qui ſe concordiæ recolit negligentiorem, excutiat expergiſcendo torporem: qui ſe cupit eſſe ſui debitoris exactorem, Dei ſe cogitet debitorem; qui erubeſcit petere, ut ſibi frater ignoſcat, vincat per bonum timorem malum pudorem.*

Et Serm. 210. alias De Diverſis 74. *Sit* (inquit) *in animo placabili, & humili miſericors ignoſcendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam: ut non poſſideamur a Satana, cujus triumphus eſt diſſenſio Chriſtianorum.*

Et Serm. 211. alias 40. inter Homilias 50. c. 6. eum, qui læſus eſt, non vult petere veniam ab eo, qui læſit, ſed animo paratum eſſe ad ignoſcendum. *Nolo mentiaris* (inquit) *nolo dicas, Da mihi veniam, qui te noſti non peccaſſe in fratrem tuum. Quid enim prodeſt tibi, cum tu fueris tuus accuſator? Quid expectas tibi ignoſci ab eo, quem non læſiſti; aut in quem non peccaſti? Nihil tibi prodeſt, nolo facias: Noſti, bene diſcuſſiſti, ſcis, quia in te peccavit, non tu in illum? Scio,* inquit; *in iſta tua ſcientia ſit tua conſcientia. Noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccavit, & ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos eſſe alii pacifici, qui illum objurgent, ut a te prius veniam petat: tu tantum paratus eſto ignoſcere, prorſus paratus eſto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimiſiſti. Habes adhuc quod ores: Ora pro illo, ut petat ante veniam; quia ſcis ei nocere, ſi non petat, ora pro illo, ut petat.*

REGULA XVIII.

Inimico veniam petenti, non ſolum tenemur offenſam remittere, ſed etiam aliqua benevolentiæ, ſeu reconciliationis ſigna exhibere; & qui id omittit, lethalis peccati reus eſt.

Hæc enim omiſſio ſignum eſt odii in corde dominantis, Inimicorum dilectio.
ſcandalum parit, inimicum ad novum odium excitat; violatioque eſt Dominici Mandati, quod fratri in nos peccanti, ſed veniam precanti, agnoſci jubet. Luc. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens; Pœnitet me, dimitte illi.* Id confirmat *Sanctus Auguſtin.* Serm. 56. alias *De Diverſis* 48. *Quando* (inquit) *inimicus veniam petit,* Lucæ 23.
continuo dimittatis. Et hoc multum ad vos? Multum ad te erat, inimicum diligere ſævientem: multum eſt ad te, hominem diligere ſupplicantem? Quid dicis? Sæviebat, & oderas. Mallem nec tunc odiſſes: mallem tunc, cum ſævientem patereris, Dominum recordareris dicentem, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Sed forte dicturus es, Fecit ille, ſed ut Dominus, quia Chriſtus, quia Dei Filius, quia Unigenitus, quia Verbum Caro factum. Quid ego malus, & invalidus homo? Si multus eſt ad te Dominus tuus, cogitetur a te conſervus tuus. Stephanus Sanctus lapidabatur, & inter lapides genu flexo pro inimicis orabat, & ait,* Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Illi lapides mittebant,* Act. 7. 59.
non veniam poſtulabant: & ille pro eis orabat. Talem te eſſe volo: extende te. Quid trahis ſemper cor in terra? Audi, Surſum cor, *extende, dilige inimicos. Si non potes diligere ſævientem, dilige vel petentem, Dilige hominem, qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignoſce mihi. Tunc ſi non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo; ſed deleberis de libro Dei.... Sed forte dicis, Mentitur, fingit. O Judex cordis alieni, dic mihi cogitationes patris tui, dic mihi heſternas tuas. Rogat, veniam petit: Dimitte, prorſus dimitte. Si non dimiſeris non illi noces, ſed tibi. Nam ille ſcit, quid eſt facturus. Non vis tu dimittere conſervus conſervo tuo: ibit ad Dominum veſtrum, & dicet ei. Domine, rogavi conſervum meum, ut dimitteret mihi, & noluit dimittere, tu mihi dimitte. Numquid non licet Domino debita relaxare ſervi ſui? Ille accepta venia a Domino recedit abſolutus, tu remanes obligatus.*

Idem confirmat *S. Thom.* 2. 2. q. 83. art. 8. *Diligere inimicos in generali, eſt in præcepto* (inquit). *In ſpeciali autem non eſt in præcepto, niſi ſecundum præparationem animi: ut ſcilicet homo eſſet paratus etiam ſpecialiter inimicum diligere, & eum juvare in neceſſitatis articulo, vel ſi veniam peteret.*

Certum quamvis ſemper ſit ejuſmodi benevolentiæ ſignum inimico veniam petenti exhibendum, quod ſufficit ad depoſitionem odii ſignificandam, & caritatem comprobandam, non eadem tamen, nec eodem modo ſunt ab omnibus exigenda: ſicut nec ab omnibus exigendum eſt, ut veniam rogent, cum quibuſdam ſatis ſit, ut vel ſalutationis officium, vel aliud benevolentiæ ſignum priores exhibeant. Alia enim debent filius patri, ſervus Domino, ſubditus Superiori, plebejus Nobili, quam pater filio, Dominus ſervo, Superior ſubdito, Nobilis plebejo: alia ſibi mutuo debent Nobiles, vel Clerici, aut Religioſi æquales. Nam pater, dominus, Superior, ita parcere tenetur filio, ſervo, aut ſubdito veniam petenti, & benevelentiæ demonſtrationem ita temperare, ut tamen correptionem, & diſciplinam, ſi neceſſe ſit, non remittat. Unde *S. Aug.* Serm. 5. alias 1. ex iis quos edidit *Sirmondus*, ait: *Pater, quia non dimiſit ille, qui clamat? Forte enim aliquando clamat aliquis, & jubes cædi hominem, & putas, quia non dimiſit. Quare? Tu quando cædis filium tuum, tenes odium in corde tuo? Ergo res in corde eſt, ſolus Deus vidit, ſi dimiſſum eſt. Aliquando enim non cædit aliquis, videtur parcere manu, & ſævit in corde, & optat male homini intus, & vult eum necare: tenet contra illum malam voluntatem, quamvis nihil illi corporali-*

ter